8
3-b
3

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1 D
33

8.-3.b.3.

JOSEPHI ANTONII WEISSENBACH

BREMGARTENSIS HELVETII

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS

DE

ARTE CRITICA:

AC

MAXIME ILLA,

QUÆ

DOCTRINAM, TRADITIONEM,
DISCIPLINAM, HISTORIAM
ECCLESIÆ
RETRACTAT;

LIBER UNUS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

IN USUM ECCLESIASTICORUM,
QUI IN FORO SUO NOLINT
OBITER VERSARI.

CUM TABULIS DUABUS.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,

SUMPTIBUS FRANCISCI ANTONII VEITH. BIBLIOPOLÆ.

PROPE FORUM VINARIUM, vulgò Weinstadel, *Nro. 29.*

M DCC XCIV.

Ars Critica habet varium ufum: quem quidem primo in moderatum dividas, et immoderatum. Hic vero an petulantibus ingeniis plus damni, an ille docilibus plus commodi ferat, incertum habeo. *Ex gallico Auctoris ignoti.*

PRÆFATIO
SUPER INSTITUTO HUJUS OPERIS.

Compertiſſimum eſt, etiam noſtra ætate, quæ ſibi videtur ſola ſapere, pleroſque horum, qui accedunt Theologiam et Hiſtoriam Eccleſiæ, nec ſubactos judicio eſſe, nec cognitione antiquitatis imbutos.

Quod etſi incommodum habet, eſt ejusmodi, ut paulatim lectione ipſa tollatur. Minus ferendum, quod nil audiunt de legibus, quas CRITICA certiſſimas ſtatuit, et tam Catholici quam Proteſtantes, licet ipſi non ſervent, tamen admittunt conſenſu magno, exiguntque ab omnibus aliis. *

* 2 His

* Paucas excipio, quæ ſpectant *Traditionem*. Quamquam et hic a ſuis abeunt cordatiores Proteſtantium: maluntque Scripturæ ſenſum, qui Dogmata ſpectat, petere a Patribus primorum ſæculorum, quam Hebræam, Græcamve Grammaticam ponere fundamentum Fidei, ac ſtatuere judicem controverſiarum.

His ducibus destitutos necessum est aberrare, ferrique in devia. Quo enim sciendi avidiores sunt, hoc sæpius impingent, conflantes sibi laborem, ac negotium facessentes, ex duplici capite pœnitendum; quia tempus terunt inutiliter, et inter decursum implicantur variis opinionibus, quas, cum anni accedunt, fovent ac per omnem vitam non deponunt.

Non minus constat, Candidatos eosdem per imperitiam irruere in quemvis veterem librum; sive *Patris* ille, sive *Concilii*, sive *Historici* sit. Auctorem norunt; sed in ceteris, quæ hunc spectant, ac maxime in editionibus ejus, tam sunt peregrini, ut sincera et spuria, integra et corrupta nullo discrimine habeant; imo res magni momenti, hinc pendentes, vel prætereant sæpe, vel minime assequantur.

Malo afferri remedium haud potest, ni sit ad manus lucubratio quam brevis, tam curata, cujus illi ductum sequantur. Brevem dico; quia, etsi in tot subsidiis parandis possent sumptum tolerare, (Et quin possint per luxus immanitatem?) ad legen-

legendum nec otium habent, nec afferunt patientiam negotio parem.

Conſtitui ergo apud animum meum, Artis regulas, quas uſibus privatis deſtinabam, juris publici facere; ſpe fretus, beneficio brevitatis, diſpoſitionis, perſpicuitatis tenendas facile: ſed et cetera, quæ hinc ſequuntur, ſuo marte a pluribus eruenda. En totam rationem Inſtituti hujus; quo cognito absque ambagibus rem ipſam invado, contentus præmittere *Capita*, quæ tractanda ſumpſi. Sunt autem oppido pauca.

OPERIS
DISPOSITIO ATQUE CONSPECTUS.

CAPUT I.

Cognitio *indolis* et *naturæ* Artis Criticæ. 1

CAPUT II.

Cognitio *necessitatis* et *utilitatis* Artis Criticæ. 8

CAPUT III.

Cognitio *cautionum*, quas Ars Critica *lectioni præmittit.* 18

CAPUT IV.

Cognitio *methodi* et *ordinis*, quem jubet *in legendo* servare. 54

CAPUT V.

Cognitio *auctorum*, quibus *ordine legendis* facem præfert. 71

CAPUT VI.

Cognitio aliorum auctorum, qui *legendi molestiam levent, partemque operæ in se suscipiant.* 114

CAPUT VII.

Cognitio *Grammatices*, sive de peritia linguæ, qua utuntur dicti auctores. 122

CAPUT VIII.

Cognitio legum in *Historica Fide* æstimanda. 138

CAPUT IX.

Cognitio Operum veteribus *suppositorum.* 146

CAPUT X.

Cognitio Operum verorum quidem, sed *corruptorum.* 193

CAPUT XI.

Cognitio *Glossematum*, quæ, sublata e margine, auctorum verbis miscentur. 204

CAPUT

CAPUT XII.

Cognitio *vocum, litterarum, signorum,* quæ spectant veterum emendationem. 215

CAPUT XIII.

Cognitio dexteritatis in *restituendo sententiam*, locosve affectos sanando. 225

CAPUT XIV.

Cognitio *Editionum.* 237

CAPUT XV.

Cognitio *Codicum Manuscriptorum.* 271

CAPUT XVI.

Cognitio *Bibliothecarum*, quibus codices Manuscripti servantur. 293

CAPUT XVII.

Cognitio *Nummophylaciorum* celebriorum. 307

CAPUT XVIII.

Cognitio *vetustissimarum Inscriptionum* hodieque extantium. 310

CAPUT XIX.

Cognitio *Criticorum* ipsorum, qui his de rebus præcipiunt. 319

Finem tractationi impono subjectis periculis, sive exercitationibus criticis; quarum est

Prima,

Epistola de faciendo DELECTU in monumentis veterum cognoscendis. 331

Secunda,

Examen *Canonum* SARDICENSIUM, quos ferunt a Sede Romana pro Nicænis obtrusos. 351

APPROBATIO.

Cum præfens Opufculum *de Arte Critica* nihil contra catholicam Fidem, bonosve Mores contineat, et Principia hujus Artis erudite exponat, illud imprimendum effe cenfeo. Auguftæ Vindelicorum, die 28. Februarii, 1794.

Imprimatur.

Joannes Nepomucenus, Epifcopus Pellenfis, Vicarius generalis.

Jos. Ant. Steiner, SS. Theol. Doctor, Eminentiff. ac Sereniff. Elect. Archiep. Trevir. Epifcopi Auguftani Confil. Ecclef. Major. Pœnitent. Confiftorii Affeffor, Vifitator generalis, ad infig. Colleg. S. Mauritii Canonicus et librorum Cenfor.

DE

DE
ARTE CRITICA,
AC
MAXIME ILLA,
QUÆ
DOCTRINAM, TRADITIONEM, DISCIPLINAM, HISTORIAM ECCLESIÆ RETRACTAT,
LIBER UNUS.

CAPUT I.
Cognitio indolis et naturæ Artis criticæ.

Scholaſtici, qui malo ſuo Criticen contemptim habebant, putabantque eſſe infra dignitatem ſuam de illa cognoſcere, perſuaſerant ſibi ac aliis, hominem Criticum diſtineri totum advertendo, et recordando. Quo mihi videntur ne nomen quidem ejus artis tenuiſſe. Cum enim Græci a diſcernendo hoc petiſſent, ſubjecta notio non memoriæ res eſt, ſed judicii ex ipſa inſtitutione majorum.

 Non

Critica proprie dicta. Non autem nunc loquor de Critica universe, ac generatim, qua significatione patet latissime, totamque discernendi, ac judicandi facultatem complectitur; sed accipio illam, ut ipsi Critici, strictiore multo, ac proprio sensu. Sic considerata definitur *facultas recte judicandi de veterum scriptis.* Non autem de argumento, ipsoque operis pretio, nisi casu, qui inter docendum alia ex aliis nectit; verum de lingua, sententia verborum, stilo, ætate, integritate, fide, auctore ipso solet æstimare. Promiscue ergo et contra legem Critici vocantur, qui libros novos, præsertim vernaculos, recensent, deque illis judicium suum interponunt. Non ad Criticen ipsam, sed scientias alias, puta Logicam, Metaphysicam, Physicam, Mathesin, Jurisprudentiam, Theologiam hoc pertinet; quibus qui est intime imbutus, potest si velit non solum ex æquo ac bono, sed etiam vero de illis pronuntiare. Sed ideo non exercebit nostram artem, neque Criticum aget, verum *Censorem.* Ex ista cognitione pendent omnes sive externæ, sive interiores Criticæ leges. Inde et dotes discas, quas debent plurimas afferre, qui animum ad hoc genus studii appulerunt. Cum enim (ut omnis humana scientia) vel in rebus versetur, vel in verbis, quædam ponit in antecessum, quæ curam utrisque debitam planiorem reddant, ac explicatam. Ergo summi viri hunc honorem illi habent, ut dicant affirmate, illam, sicut multis opibus instruit vim memoriæ, sic alteram judicii longe acrius frequen-

quentiusque exercere. Nam præter operosissimas inquisitiones, quibus naturam linguæ vocat ad examen, quantum est acumen primum in notitia spuriorum operum, quæ sive ignoratio, sive fraus, et diligentia perversa scriptoribus plurimis velut ova aliena suppoſuit; tum vero lacunarum, locorumve vel corruptorum, vel assutorum: item artium conjectandi, ceterisque adminiculis, quibus tituli, numeri, voces, versus, imo quævis obscura, dubia, depravata lectio restitui debet, ac persanari? Mitto editiones fideles vel infideles: curatas vel negligentes: bellas vel deformes: plenas vel mancas: recusas, vel exscriptas e prioribus: mitto notiones stili, virtutesque, ac vitia scribentium: mitto ceteram suppellectilem, quibus ars ista jam ad instrumentum, jam ornatum utitur; quantum quæso desudare debet in rationibus scribendi non solum cuilibet sectæ, sed etiam ætati familiaribus? Istuc etsi solum esset, tam Historiæ litterariæ, quam Chronologiæ partem magnam præmitteret: imo juberet, (quando pleraque res gestas continent) ipsius Historicæ fidei universas leges penitissime, ac quod ajunt ad unguem cognovisse. *

Complectitur quam plurima.

Cum ergo tam multa pertineant ad hoc institutum, suscipitur a nobis, ut diserte sumus professi,

* Multi, qui artem Criticam tradiderunt, ne verbulum quidem faciunt de his legibus Historicæ fidei. Admonent quidem magnopere, sine curata notitia veterum scriptorum nil promoveri in hoc negotio Quid autem magis ad istam pertinet, quam scire, quæ habilitas sit cujusque ad testimonium dicendum, si, uti sæpissime fit, aliquod factum debet de scripto transfigere?

non in gratiam veteranorum; ſed ad tyrones juvandos; quorum conditio non patitur, ut multa diſcant nullo duce; verum poſtulat inter ſeveriora levamen, non augmentum, non acceſſionem infinitam laboris Iidem vero, ſi jucunde, ſi via ac ratione, ſi exemplis hæc tradas, ſub onere nunquam fatiſcent. Habent enim alterna quietis quiddam: ſuisque vicibus non tam diſtrahunt mentem, quam recreant; cujus hæc eſt mira conditio, ut nequeat intendere iisdem, verum varietate ſtudiorum levetur; ac initium novi operis peracti ſolatium evadat. Sic apes non ex uno genere, ſed floribus innumeris jam mel, jam ceram legunt: ipſique homines malunt uti cibis variis, quam eodem; cujus ingeſtio non temperans et nauſeam habet, et cruditatem. Ergo diſciplinam vaſtiſſimam amplexus de illa ſic præcipio, ut vulgaribus dimiſſis tanto intentius cetera perſequar. Surget ex his ipſis ſeges copioſa: eritque per comprehenſionem tot rerum ſæpe maximus in minimo labor. Nam accidit omnibus breviariis diligenter confectis, ut auctori exhibeant tantundem moleſtiæ, quantum lectoribus commoditatis ferunt. Statuo autem primis capitibus quædam generalia, quæ ad Criticos, ac Cenſores æqualiter ſpectant.

I. Ars

I. Ars Critica cum ſit facultas recte judicandi, nemo poteſt agere Criticum vel cenſorem, niſi ea, de quibus judicat, habeat in numerato, et his intime imbutus ſit.

Uſus et Accomodatio.

Hac prævia lege, cujus eſt maxima evidentia, cuique nemo repugnet, mox domum remittuntur centuriæ minutorum judicum, qui contenti ex obtrectatoribus ſua exſcribere, juxta cum ignariſſimis ignari ſunt omnium eo ſpectantium, quorum volunt diribitores haberi. En primum ac præcipuum fructum germanæ Critices! quæ velut aſpectu fugat illud examen fucorum, qui litteratos circumſtrepunt hodie, ſauciantque aculeis jam felle tinctis, jam veneno. A quibus magnopere contendam, ut ferocia tantiſper poſita diſcant privatim, quod publice doceant. Et vero facient; modo eis auferatur unus alterve ſcriptor vernaculus, quibus aſſueverunt. Una tuliſti omnem ſapientiæ apparatum, qui ſupercilium facit majus coma, ut circumſpiciant ſe tam inſolenter, ac ſi parentes eſſent, vel reſtitutores omnium litterarum. Fontes nusquam viderunt, ex lacunis omnia habent: factique ad pompam et oſtentationem, ſuæ nuditati alienas veſtes obtendunt.

Ipſa appellatione decernit adverſum uſurpatores ſuos.

Has vero juvat illis detrahere in oculis omnium, apud quos captant popularem auram.

— — *moveat cornicula riſum,*

Furtivis nudata coloribus; ut habet FLACCUS noster *. Si enim frontem non perfricuerunt, et quid supereſt pudoris, deſiſtent ab amentia, qua prædicant de rebus ſuis; ne audiant demum, facilius eſſe obtrectare, quam ſcribere: et fere, quod HIERONYMUS jam admonuit, nullos protervius judicare de aliis, quam qui ipſi efficere nihil noſſent.

Cum autem ſcribant ventris cauſa, veniabile ſit per me, quod judicant, quæ non intelligunt; verum iſtud quis ferat, quod etiam illa, quæ nec legerunt?

II. Poteſt quis agere inſignem Criticum in foro ſuo, quantumvis hoſpes in ceteris.

Uſus et Accomodatio.

Quales non ſunt, qui ſe continent intra unum quoddam genus; modo iſti ſint pares.

Ars iſta, ut ſupra dixi, facultas eſt judicandi de rebus, quas quis tenet, quarumque notitiam ſit adeptus. Ergo non eſt ex æquo et bono, non audire quemquam pronuntiantem de his, quæ cognita habet multo uſu, quorumque notitiam præ ceteris ſibi paravit; ſi fors deficiat in aliis, quæ huc non pertinent.

Atqui hoc ſolenne eſt illis, qui in Theologia, Jure, Philoſophia quid præſtiterunt. Putant arbitrium omnium rerum penes ſe eſſe: et cum horum ignarus ex merito ſibi quid ſumit, quaſi de injuria expoſtulant, contra legem omnem æqui-

tatis

* *Horatius Liber I. Epiſtola 3. v. 19. et 20.*

tatis, et prudentiæ; objicientes eorum inſcitiam, quæ neque profeſſus ſit aliquando, neque nunc affectet. Sed ſuum produnt dedecus, non aliorum; cum elatione mentis huc venerunt, ut gloriam litterarum, quarum ipſi expertes ſunt, invideant bene meritis, atque modeſtis: habentque ægritudinem ex eo, quod debet jucundiſſimum eſſe; quando præbet opportunitatem fruendi alienis laboribus, ſuæque inopiæ impendio minimo levandæ. Huic vitio nulli tam dediti, quam Scholaſtici, quibus ſatis eſt ad deſpuendum quemlibet, ſi ſtadium Academiæ non decurrit, nullave laurea fuit ornatus. Scholas, ajunt, non trivit, et judicat de *littera* -- ! litteris !

Quare iſtis, quorum cauſam ago, providendum unice, ut lucro apponant arrogantiam magiſtrorum Scholæ: tantoque minus etiam ipſi falcem mittant in alienam meſſem; perdantque gloriam, quam in ſuo genere ampliſſimam ſunt conſecuti, ſi morbo ſimili laborantes miſcent ſe illis, quibus pares non ſunt: quæque nunquam ſive ſerio, ſive feliciter tractaverunt. Neglectio hujus præcepti multos perdidit hac ipſa ætate; qui poterant laudem certiſſimam ſibi parare in uno, ſi non plura attigiſſent. Cum enim ſe continendo intra orbitam nec in ceteris rudes eſſent habiti, fecerunt, ut jam nec ibi inveniant fidem, ubi maxime excellunt. Exempla haud procul habeo, verum ejusmodi, quæ poſſint in offenſionem incurrere. Præteribo proin, ac ſilentio involvam.

CAPUT II.

Cognitio neceſſitatis, et utilitatis Artis criticæ.

Multi tantum abſunt, ut hujus artis neceſſitatem quamdam aut utilitatem agnoſcant, ut deprimant potius omnibus modis, habeantque exoſam: quin mala noſtra potiſſimum in illos conferant, qui ejus ludum aperuerunt. Quam in rem verba CLUVIGNII repetunt, neque in Galliis ante Franciſcum primum, neque in Italia ante captam Conſtantinopolim, cum maxime vigere cœpit Critice, Atheum quemquam reperiri *. Hi mihi nunc placandi ſunt; quod ſpero, me æquiores poſt habiturum, quando viderint, me nullo diſcrimine, quod ex vero opponi poſſit, non tantum aſſumere, ſed etiam impendio confirmare.

*I. Ingens hodie abuſus Critices: isque haud dubie ex Scholis Proteſtantium (quod ipſi fatentur **) ad noſtros homines delatus.*

Uſus, et Accomodatio.

Deinde damant omnes ſua diſciplina abutentes.

Legerunt multi libros eorum, qui diſſident a nobis: ac propter exiſtimationem ſive litterarum ſive probitatis non attenderunt, hæc ingenia carere fræno, quod noſtris merito injectum eſt per reverentiam, quæ inſtituto majorum Eccleſiæ maxima

---

* Ipſe RICHARDUS SIMON fatetur, ſimul ac ſtudia liberalia in Europa vigerent, mox Græce, ac Latine doctos tantiſper, veterem Eccleſiæ interpretem coepiſſe in contemptum adducere, præſertim Italos, qui ſibi potiſſimum elegantiam literarum arrog ſſent.

** et nos alibi oſtendimus.

ma debetur. Primus quod sciam sub medium superioris sæculi JOANNES LAUNOIUS vexillum sustulit; de quo Galli populares dicebant, *solere eum quovis anno aliquem Cœlitum ex ara depellere.* Verum et alia multa loco movit, ceterisque viam aperuit ad majora audenda. *. Res ista in Galliis processus magnos habuit, succedente mox NICOLAO RIGALTIO, atque omnia notante, quæ ritibus Ecclesiæ adversa in speciem legebat. Demum per alios ad omnes nationes instar pestilentiæ permanavit. Quod dudum conquesti sunt viri cordati, ac litterarum si qui alii amantes quam plurimi. Possent utramque paginam implere horum gravissimæ voces; debet autem nunc abesse; ne morentur alio properantem. Unum comittere haud possum, ut prætercam sapientissimum hominem, ac de omni Critica meritum præclare, JOANNEM MABILLONIUM, quem ea res ægerrime profecto habuit. Sic enim *in Tractatu de Studiis Monasticis Parte II. cap.* 13. cum stomacho expostulat: *Adeo impudenter ista* (Criticen intelligit), *abutuntur, ut haud minus, quam ex errore, & ignorantia, detrimentum mens inde patiatur. Temerario ausu materias suapte sponte definiunt, sine prævio eorum examine: et nedum in eorum discussione, de quibus in humanis ac naturalibus scientiis communiter agitur, talem sibi usurpant potestatem; verum etiam in iis, quæ spectant ad orthodoxæ Fidei dogmata. Super his*

 enim

* Vide THEOPHILUM RAYNAUDUM *in Antemurali adversus fortia ingenia.*

enim arbitrario plura identidem asserunt; majori sane fiducia, quam si Oecumenicum enuntiaret Concilium. Et hoc forte inter morbos unus esse deprehenditur, queis præsens sæculum misere laborat; quandoquidem si præcedentibus sæculis noxiæ simplicitatis, nimiæque credulitatis vitium adscribitur, nostro hoc ævo nil fere ab iis, qui acri se præditos ingenio jactitant, recipitur, quin prius ipsorum censuræ plane subdatur. Hæc qui legit, vocem ipsam veritatis audire se putat; sed hodie minora sunt vero.

II. Hoc ipsum ostendit, quæ necessitas incumbat Theologo, ut temerarios petat iisdem telis, quibus utuntur: erigatque machinas ex ipsa Critice ad illum perpetuum assultum excipiendum.

Usus, et Accomodatio.

Denique hostes, quos plurimos habet præsertim in Scholis.

Non tam actum agunt, quam deridiculo sunt, qui præsidio Syllogismi, et arcanis Metaphysicæ freti, novatoribus clamores opponunt: putantque contemptu, auctoritate, ignavia ipsa negotium absolvi. Quibuscum per Deum! minime sentimus. Nam ex quo tot monstra existunt ab inferis, ac caput tollunt, congrediendum paribus armis. Non id agitur, ut eludamus, ictumve delinemus; quod fecerunt hactenus viri non indocti, sed qui ejus scientiæ, quæ debet fidem Ecclesiasticorum codicum tueri, nec nomen perceperunt. Nempe habent sectas suas, quæ se putant absque hoc placere sibi posse: ac ingenia in hoc consumunt, ut ceteris ægre faciant, qui in hæc minime jurarunt.

Porro

Porro qui nomine Antistitis * delectus juvenum habent, formantque sacerdotes, vetustatem sacram raro commendant: nec ejus pericula capiunt. Unde illi toti in quæstionibus, quæ Examini subjiciuntur: et quibus putant scientiam, non dico sacram, sed etiam humanam omnem contineri. Nil ergo novi, ut nomen urbis, vel libri insontis putetur hæretici esse: et talia multa contingant, quæ ne referri quidem possunt sine catholici nominis opprobrio.

Accedit, quod libri huc pertinentes rari sunt, stantque magno pretio: nec fere, præterquam in bibliothecis, reperiuntur. Itaque tyrones ducibus carent: et quia a magistris audiunt, crepundia hæc esse, ne quidem *Conciliorum collectionem* norunt, aut cujusquam Patris probam editionem: nesciunt, inquam, an in ulla Historia, dogmati vicina, fides rata sit; an nutet, vel in dubio versetur etc. Accedit obsequium cæcum, quo excipiunt omnes allegationes: ne quidem cogitantes, locos plerosque sic truncari, et corrumpi, ut testari debeant adversus eum ipsum, cujus nomen gerunt. Quod si verba sunt eadem, nec quod præcessit, nec quod sequitur, conjunctum his vident; ut tam justa sit, quam vetus querela, ex centum sententiis veterum vix duas, sicut decet, exhiberi a Summistis, ac Doctoribus scholarum. *

Est

* Istud cum alii multi, tum ipse *Sirmondus*, qui est tamen mirabili temperantia, *in Antirrhetico* his exprobravit, cum de Canonibus Ecclesiæ veteris illi sermo esset.

Revincens eos ex propriis rationibus.

Eſt ergo apud multos ignoratio ingens vetuſtatis ſacræ, conjuncta cum damno nihilo minori non tam Theologiæ, quam ipſius religionis; cujus rationibus minime convenit, cum verſamur in exteris, et domeſtica negligimus. Quod debebant eruditionis hujus oſores alieno malo ab iisdem diſcere, quorum viam, ac rationem in docendo hodieque ſequuntur. Contigit enim ſuperiori ætate, cum cathedræ ſcholarum ſubtilitatibus perſonarent, velutque ſpinis quibusdam ſepirentur, ut bonæ litteræ peſſumirent ubique terrarum, ac numero nullo haberentur. Ita alii, conſueto naturæ vitio, cum valerent arte judicandi, haberentque exoſam barbariem, dominatu tanto cervicibus incumbentem, in hoc vires univerſas expertum ibant, an poſſent loco pellere inolita ſtudia, Muſisque, a quibus per auſteritatem multi abſterrebantur, nativam elegantiam reſtituere. Ergo impenſe colebant humaniora, addictique Philologiæ toti erant in Hiſtoria, Poëſi, Rhetorica, Grammatica emendanda. Quo factum, ut paulatim magiſterium ſibi vendicantes, cum ſperarent vi verborum, ac nova eruditione ſe multa efficere, non ſolum proſcinderent adverſarios, ac ludibrio exponerent, verum etiam per luxuriam ingenii vel de ſacris proferrent ambigua, apertumve in errorem interdum prorumperent. In ea colliſione animorum et ſcholarum, cum irent omnia in pejus, unaque mores in plurimis labem feciſſent; pars autem neutra quid concederet,

deret, denique hoc consecutum est, ut a verbis et artibus ad dogmata veniretur. Unde miser discerptæ Ecclesiæ status, ac mala innumera, quæ sine lacrimis vel enarrare, vel audiri vix possint. Res tam in aperto est, ut si dictis nomina sola quorundam ut VALLAE, FICINI, MARULLI, REUCHLINI, WIMPFELINGI, ERASMI, HUTTENI, PIRKHEIMERI, ZIEGLERI, FLAMINII, MORATÆ, PALEARII, STEPHANORUM, PALINGENII adscribam, transactum plane sit de tota quæstione.

Hæc si scirent (quam multa enim ignorant, qui sibi soli sapiunt, et a suis videntur omnia edocti?) sed mitius agam, hæc si expenderent apud se residui Scholastici, pigeret pristini fastus, qui prohibet devexa ætate quemquam audire recta monentem: sed etiam discipulos abstinet a tam salutaribus, tam necessariis discendis. Verum homines opiniosi, quæ nunc nemo ipsis excutiet, saltem cum vita ponent; ego vero, tot aliis distentus, nolo bonas horas conterere, depascique mentem recordatione tristium. Quæ ipsa est causa, quod triennio abhinc conceptam *Dissertationem de Præputiis* * *Scholasticorum succrescentibus* abrupi. Sufficit summorum Theologorum verba subjicere, digna existimatione, et sapientia illorum. Et quidem S. AMBROSIUS *Epistola* 31. *et* 12. *nunc* 18. *ad Valentinianum Imperatorem* ait: *Nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emen-*

* Solenne enim est mihi *præjudicia* sic appellare.

emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum. Nullus pudor est ad meliora transire. Et S. AUGUSTINUS *Epistola* 166. *olim* 28. *ad Hieronymum: Ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest; quia etsi senes magis decet docere, quam discere, magis tamen decet discere, quam quid doceant ignorare.* Quod si quid addere licet etiam externæ, profanæque litteraturæ, Romanorum sapientissimus MARCUS CATO, qui & *Censorius* est dictus, Græcas litteras senex didicit; quæ res, ut legitur sæpe apud Ciceronem, neque ipsi infra dignitatem est visa, et apud alios existimationem viri, quam putabant augeri vix posse, amplificavit majorem in modum.

Neque mihi quis oggerat, Metaphysica Dogmaticam carere haud posse. De hoc dubitavi nunquam. Sed cum ejus in pluribus est comperta necessitas, non debet longius, et ad ea, quæ non sunt dogmatis, extendi Jam apud Patres subtilitatis multum fuit; sed solum ubi res, locusque poscebant; videlicet ab ortu hæreseos Arianæ. Quamquam vel ipsi hanc ægre admitterent, dolerentque vehementer, per occasionem illam in sacros sermones, conventus, tractatus de Fide cœpisse introduci strepitum, ac dicacitatem Græcanicæ Philosophiæ. Quam in rem gravissimis, ut solet verbis, Theologorum Orientis præcipuus, et per Antonomasiam sic dictus Nazianzenorum Antistes GREGORIUS *Oratione de laudibus Athanasii* conqueritur; *Fuit quondam tempus, cum res nostræ florerent,*

*rerent, ac præclare se haberent; cum nimirum superflua hæc et verborum lepore * atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad divinas causas ne aditum quidem habebat; verum idem erat calculis ludere, inversionis celeritate aspectum fallentibus, aut omnigenis et lascivis corporis flexibus spectatores ludificari, quod novi quidquam et curiosi de Deo vel dicere vel audire: simplex contra ingenuaque oratio, atque doctrina pietas existimabatur. At postquam Sexti et Pyrrhones, et contradicendi libidine incitata lingua velut gravis quidam ac malignus morbus in Ecclesias nostras infeliciter obrepsit, quod Actorum liber de Athenienſibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quam ad novi aliquid dicendum vel audiendum. O quis Hieremias confusionem nostram, caliginemque deplorabit, qui solus lamentationes calamitatibus exæquare novit!* Quod si vir sanctus ac prudens sic perstringit acumen magistrorum, quid putas facturum, si fata scientiæ sacræ ad nos usque prospexisset animo! fata inquam, quæ propter multorum curiosas quæstiones subire debuit, cum sibi viderentur ad summam dignitatem hanc evexisse, et mysteria captu superiora retegere, si aliis atque aliis subtilitatibus naturæ conditionem isti accomodarent, sylvamque dogmatum accessione tot argutarum rerum sine modo cumularent? Sic enim effectum est, ut, cum nihil inaccessum sibi vellent, per infidum

* Theologi nempe Græci contra quam fit apud Scholasticos Latinos, elegantias, ac munditias haud secus ac Philosophi gentiles naviter retinebant.

fidum ac inanem laborem res fummi momenti ex oculis amitterent. *Ne quid minus: ne quid nimis!* Et hic quidem ne divina (quæ neque debent, neque poffunt cognofci) pro cognitis habeamus, nimiumque ftudium, multamque operam neceffariis ac utilibus detractam in abftrufas, difficiles, fpinofas res conferamus. Sic fiet, ut in ceteris, quæ cognitione digniora funt, atque ufum maximum habent, imo affiduum, tanto plus curæ, induftriæque ponamus. Fit enim natura, ut quando quæftioni præcipuæ incidunt novæ quæftiones, intentio animi tantopere diftrahatur, ut vix poffit redire eo, de quo maxime, ne dicam unice, fuiffet quærendum. Quod ipfe AUGUSTINUS, qui acumine tantum valuit: et cujus ingenium ex mente Erafmi quæftionibus velut alebatur, *Libro IV. de Doctrina chriftiana num.* 39. animadvertit.

& natura ipfa complexuque Theologiæ.

Velim autem in noftro inftituto præ omnibus expendi, quod cognitio Scriptorum Ecclefiafticorum, ftudiumque Antiquitatis & Hiftoriæ Ecclefiafticæ, ad quam ratio Difciplinæ pariter fpectat, cum Theologia intime juncta, imo conferta fit. Hæc enim non eft de genere artium, in quibus nova reteguntur, partusque humani ingenii venditari folent. Nihil minus. De divinis iftuc docet, quod Chrifti Ecclefia per decurfum fæculorum velut depofitum quoddam cuftodivit femper, fuisque credendum vel agendum certiffime præfcripfit. Nec folum Dogmata, atque Præcepta, fed

ſed etiam Evangelii natales, incunabula, progreſſus, incrementa, ſedium præcipuarum origo, certamina Martyrum, pœnitentium labor, Aſcetarum ſanctitas, Paſtorum curæ, & ſolertia: rurſum officia, myſteriaque templorum, Hæreſes, Concilia, poſtremo fata, & mutationes quæcunque Eccleſiarum revocantur ad ſacram ſcientiam. Nam in omnibus his cum opera providentiæ elucent, tum recluduntur uberrimi fontes inſtitutionis Chriſtianæ. Hic habes, quid obtinuerit a prima ætate: quid inductum proceſſu temporis: quid more, uſuque inolitum vel abolitum: quaque ratione explicatio ipſa doctrinæ, quæ eſt propria Theologia, adoleverit paulatim, & ad illam, quam videmus, perfectionem deducta ſit

Sed dicam duobus verbis, ſine notitia Antiquitatis capita Scripturæ multa intelligi minime poſſunt; tanta connexio eſt, tamque perpetuus reſpectus ſive veteris ad novum, ſive novi ad vetus Teſtamentum. Quid quod præcipua pars divinarum litterarum in Hiſtoriis eſt; ubi ipſa profana ad leges prudentiæ, rationem regendi, exempla civilium virtutum diriguntur? De ceteris Theologiæ cauſis nil dico, quando palam eſt, ac habetur ex ipſis verbis, quodcunque *traditum*, *præceptum*, *deliberatum*, *decretum*, *laudatum*, *correptum*, *emendatum*, *inculcatum* ſit ab Eccleſiis, monumentis majorum contineri. Quod magis oſtendent, quæ ſequuntur. Nec enim poſſum omnia initio cumulare. Vide FRIDERICI SPANHEMII JUNIORIS *Orationem*

de sacrarum Antiquitatum perstantia Tomo II. Libro 10. *Miscellaneorum sacræ Antiquitatis* * Nempe sine hac notitia nec veteres intelligi possunt, nec controversiæ decidi. Utrinque enim ad instituta veterum solet provocari.

Ante, quam venitur ad periculum capiendum, necesse est, præmittere quædam, quæ doceant generatim, quid oporteat præstari ab hoc, qui sit studiosus germanæ Theologiæ: velitque arma capere adversum eos, qui ad evertendam rem christianam coitionem fecerunt.

CAPUT III.

Cognitio cautionum, quas Ars critica lectioni præmittit.

De ista cognitione cum præcipio, non aliam volo, quam quæ huc, ad sacram antiquitatem, studiumque Theologiæ refertur. Debet autem hoc, cum sit aliquoties dictum, non dici semper, sed impressum semel memoriæ, semper observari.

I. Probe

* De industria hunc allego; quia putat rem omnem Romanam interpretatione sinistra vetustatis niti; ideo suos incitat ad hanc impensius scrutandam. Ejusdem instituti sunt JOANNIS CLERICI, JOANNIS ALPHONSI TURRETINI, & JOANNIS MARTINI CHLADENII Orationes.

I. Probe ſpectandus finis, cujus cauſa ad vetuſtatem quis accedit. Homo Theologus illa non quærit, quibus res chriſtiana neque nititur, neque eguit aliquando; verum perpetuum filum traditionis, et ſive dogmatum, ſive legum ſimplicitatem, conſtantiamque attendit ac demiratur.

Uſus, et Accomodatio.

Hoc præceptum video a plurimis negligi. Nam juniores, quaſi in Claſſicum Græcum, Latinumve incidiſſent, rationem elegantiæ habent, ac ſublimes ſenſus, metaphoras, oratoria ſchemata, argutias, pigmenta requirunt. In ipſo ſtilo, quem infra dicam adverti debere, potius numeros, et clauſulas morantur, quam faciem, et lineamenta ſcribentis, quæ oblata occaſione, ortove dubio poſt recognoſcant. Itaque identidem his inculces, ſic mentem avocari potius a ſenſu Scripturæ, teſtimonio Traditionis, probatione Dogmatum, regulis morum, ſeveritate Diſciplinæ. Idipſum dicas de ratione docendi Gentiles, vincendi Hæreticos, frenandi flagitioſos, ceteros juſtitia, vitæque interioris puritate imbuendos. Nam horum omnium haberi ratio debet; quia plurimum conducunt ad finem, quem Candidatis ſcientiæ ſacræ præſtitutum oportet.

Ars critica in legendo non ſpectat eloquentiam, vel conciones.

Quod ſi concionibus deſtinatus vult ſeligere, quæ dicat ad frequentem populum, non ille Theologum, ſed oratorem agit in legendo. Ubi non eſt opus, ut multos evolvat. Habet enim diſſertiſſimos, ſive Græcorum, ſive Latinorum; a qui- bus

Sunt hac alterius fori: et abſolvuntur paucioribus.

bus ſi abit ad ceteros, operam, ac tempus perdat. Qui vero ſint illi, quibus utatur, dixi in opere *de Eloquentia Patrum*. Quin auſim adjicere, cui non licet per occupationes in eloquentibus Patribus verſari, illi ſatis eſſe, ſi legat hoc ipſum opus, ibique notata argumenta, cum poſcet uſus, in fontibus requirat. Præcipue laudavi inter *Latinos* Tertullianum, Minutium, Cyprianum, Lactantium, Pacianum, Ambroſium, Severum, Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum, Eucherium, Salvianum, Vincentium, Leonem, Bernardum. Apud *Græcos* Clementem, Origenem, Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Nyſſenum, Aſterium, Chryſoſtomum, Syneſium, Iſidorum, Nilum, Theodoretum, Damaſcenum. Quibus liceat Nemeſium, Æneam Gazæum, Georgium Nicomedienſem jungere; quia propter Scriptorum brevitatem ſpatio tridui abſolvuntur. Et quidem

TERTULLIANUM

Laconem dixi abruptum, qui acumine temperet auſteritatem; ſed adverſarios, quos ſit nactus, pondere ſententiarum velut elidat.

MINUTIUM

Ingenioſum, eruditum, ac magis quam ſint ceteri, cultum, ſententioſum, elegantem.

In LACTANTIO

Oſtendi flumen, ſonitumque Tullianum, et ſtringentes numeros, quibus in confutando ad ſtuporem uteretur.

In

In Paciano

Tam gravem, quam terſam, incitatamque dictionem.

In Ambrosio

Cum tractus perpetuos nobilium ſententiarum, tum ſuavitatem, et auctoritatem plane paternam.

In Severo

Facilitatem, brevitatem, puritatem, venuſtatem, æquabilitatem.

In Hieronymo

Varietatem, libertatem, ornatum, eruditionem, acrimoniam, impetum, lacertos.

In Augustino

Ingenium, argumentationem, effata grandia, intimam pietatem.

In Paulino

Mitiſſimam et ſanctiſſimam mentem, quæ arte dicendi ac litteris non minus, quam virtutibus, eſſet ſubacta.

In Eucherio

Pigmenta, blanditias, flores, et fragrantiam pietatis: tum vero exquiſitas ſententias, quas imbutus meditatione cœleſtium ob fœcunditatem ingenii, dicendique peritiam dexteritate mira, ac ſermone molliſſimo flectit, verſatque in omnem partem.

In Salviano

Commendavi ſeveritatem, æſtum orationis, facultatem amplificandi, hucusque non viſam, ac externis quoque oratoribus ſuperiorem.

In Vincentio

Denſitatem, ac nervos.

In Leone

Dignitatem, prudentiam, tornatas periodos, et comprehensionem tam rerum, quam verborum singularem.

In Bernardo

Ubertatem, festivitatem, castas delicias, usum excitandi, calorem, aculeos, emblemata, phrasin divinam.

Hæc de Latinis A quibus ad Græcos facto transitu, dixi

Clementem, et Origenem

Docendo maxime accommodatos.

Athanasium

Tam perspicuum, et gravem; ut neque doctrinam, nervum, nitorem desideres.

Basilium

Pressum, suavem, dilucidum, calentem, limatum, planeque Atticum.

Nazianzenum

Velocem, splendidum, argutum, sublimem, numerosum.

Nyssenum

Ornatum, illustrem, diffusum.

In Asterio

Miratus sum vigorem, munditias, flores, motus, descriptiones luculentas.

In Chrysostomo

Hærentem litteræ interpretationem; deinde copiam, leporem, ornatum, puritatem, vim versatilem; popularitatem vero tam jucundam, ut mihi videretur plebis omnia sensa, mores, affectum ipsum exprimere.

In

In Synesio

Opulentiam imaginum et ſententiarum, cultum, ſplendorem, ingenium, inciſam brevitatem: neque raro vim, ac gravitatem.

In Isidoro

Admonui ineſſe candorem, perſpicuitatem, confidentiam, robur, Laconiſmum.

In Nilo

Fere eadem cum negligentia, quæ deceat illum, ac per ſe ſola placere poſſit: item ubertatem mirandam ſive ſimilium, ſive ſententiarum, quam minime affectat, ſed adhibet dexterrime.

In Damasceno

Ornatum virilem, diſpoſitionem facilem, copiam doctrinæ, perſpicuitatem: cumque uſus fert, vigorem quoque ac celeres motus.

II. Debet lector cujusque Scriptoris ætatem, ſed et præcipua ibi geſta ſcire, ac ipſum præcipue, quem verſat, velut de facie noviſſe.

Cujus rei eſt idonea cauſa; quando hæc notitia mores, controverſias, mutationes, ſtudia, ac qui hinc pendent, fines, ſenſusque verborum velut ob oculos ſtatuit: et rebus de ſe obſcuriſſimis, certe ſuſpectis, lucem plurimam infert. Plerique mentem veterum ideo non aſſequuntur, quia quæ hanc debent explicare, lectioni jungenda putant, non præmittenda. Quo quidem vehementer falluntur, ſeque ipſi impediunt majorem in modum. Nam quod alios minime lædit, offen-

Lector veterum debet, multa prænoſſe, antequam legat.

offendiculo est illis. Quælibet ætas familiarem phrasin habet: et voce eadem alluditur ad diversa; ut sensus tantum distent, quantum a majoribus ipsi distamus. Præcipue vero scriptoribus Ecclesiæ sua verba sunt; quibus quo propius ad se accedunt, hoc longius a ceteris abeunt. *

Quod si de rebus, ac personis sit sermo, multa injiciunt moram, et pariunt difficultatem improvisam, hac sola de causa; quia nescit lector, scriptorem cujusdam auctoritate deceptum, actumve affectu suxisse errorem: fors etiam sic locutum, cum res nondum discussa esset judicio Ecclesia; minus conceptis apud nos formulis adstricta. Itaque, quod toties est dictum, securius quam nos illi disputabant.

Usus et Accomodatio.

Quam multa superiore sæculo de CLEMENTE ALEXANDRINO, ORIGENE, SYNESIO ultro citroque vocata in dubium! Hodie, cum eorum omnia scimus, hoc uno transactum est, si damus, profanam philosophiam, cui assueverant ab ineunte ætate, voces, et sensa varia affricuisse illis, quæ frustra cum Evangelica simplicitate componere quis allaboret.

TERTULLIANUS, cum esset acri, ac vehemente ingenio, tum exacerbatns a Romanis, per asperitatem vitæ, et stili, ipsamque eruditionem, demum

* Sed de hoc infra uberius *Capite septimo*, cum de Grammatica dicetur, et peritia linguæ, quam ars critica requirit.

mum voces a Jurisperitis, et Philoſophis petitas, velut aliud agendo ubique imminet opportunitati, qua commodet rebus ſuis, hoſtique latenter plagam infligat. Quæ qui neſcit quomodo intelliget illum, cui aſſequendo aliunde vix ulla nimia ſive doctriua, ſive attentio eſt? Obſcuratus nempe his umbris deliteſcet magis, ſeque ipſe recondet.

Eusebius Cæsariensis Arianorum patronus fuit: eorumque factionem occultis artibus maxime promovit. Nil ergo mirum, ſi hoc fidem ejus paſſim elevat in rebus, quæ ſpectant motus illos. -- Bonaventura Argonenſis, Patrum magnus cognitor, *de optima methodo hos legendi Parte II. cap.* 12. ſolicite caret, ne quis imponi ab homine ſibi patiatur. *Quem enim latet*, ait, *in Origenem valde propenſum, rebus Arianis omnibus interfuiſſe; imo de hac hæreſi ſuſpectum, ingenio verſatili, vafro, in animos facile irrepenti, prœterea cupidum famæ, atque factum ad cuncta ſuſcipienda, quæ ſervirent præſtituto ſibi fini: quem, inquam, hæc omnia latent, ægerrime vitabit laqueos, quos poſteris tetendit captioſo ſtilo. Eſt enim ad fallendum tanto magis accomodatus, quo videtur apertior, ac vetuſtatis, rerumque ſacrarum cognitione præ ceteris inſtructus.*

Gregorius Nyssenus, atque alii, tam ejusdem quam ſecutæ ætatis terebant Origenem; a quo plura traxerunt, ac maxime ſtudium allegoriæ.

Rufinus non indoctus, ſed Origenis nimirum ſtudioſus, familiaritate dein Pelagianorum

corruptus, nusquam est fidus horum interpres, quæ fecit latina: ac memoriæ plura mandavit, quæ requirunt cautissimum lectorem.

SOCRATES, et SOZOMENUS, quorum est in multis laudata historia, pro partibus Novatianorum stant uterque.

THEODORETUS, veterum doctissimus, præceptorem *Mopsvestenum* habuit, cui studet quavis occasione: sed neque veterem amicum, et contubernalem Nestorium potuit ex animo penitus delere.

Dicenda alia essent de JOANNE CASSIANO, JOANNE MAXENTIO, CLAUDIO TAURINENSI, PHOTIO *Patriarcha*, atque aliis hujusmodi; verum, quod spectat notitiam personarum, sufficere superiora omnibus possunt.

Nunc istud versandum est, quod video multis imponere; necdum natis *Arianorum*, *Pelagianorum*, *Nestorianorum*, sed et ceteris controversiis, non potuisse hos omnia sensa, et verba sic ponderare, uti nos solemus. Præsentibus intenti futura minime prospiciebant. Atque id ostendit, quanti referat, cujusque auctoris ætatem nosse; imo inter legendum, de quo sæpe dicemus, ordinem temporum magis, quam rerum sequi.

Quibusdam accidit, ut æstu certaminis abrepti, fide optima nec cogitantes ferrentur in oppositum. Quod videmus in hodiernis concionibus; ubi orator in avaritiam vel luxum sic invehitur, ut jam prodigis videatur patrocinari, jam

ava-

avaris. Atque ſic fert rhetorum ſtilus, quo Patres utriusque Eccleſiæ ad morem temporis ejus utebantur. HIERONYMUS laudans virginitatem parum abeſt, ut damnare nuptias videatur: ac ideo neceſſe habuit palam ſe expurgare. Ita AUGUSTINUS, quam ſubtilis, quam cautus diſputator, errorem *Semipelagianum*, quem poſt acerrime eſt inſectatus, olim ipſe incurrit. Cum enim nondum Epiſcopus, tamen ſacerdos, confligeret quotidie cum *Manichæis*, proniſſimum fuit, ut libero arbitrio pluſculum daret. Quando manus conferuntur, et pugna extrahitur longius, non licet pluribus commodare mentem; minus ad ſpem victoriæ ſibi temperare. Sententia, adverſus quam decernitur, velut norma debet haberi omnium, quæ negant et affirmant. Hæc regit, flectitque indicia animi omnia; ſed maxime voces, quibus cum Hæreticis videntur facere. Quare hic locum habet, quod legitur apud Jureconſultos: *Quisque eſt interpres ſuorum verborum.* Recipiunt enim bonam et malam mentem: neque ex ſe hæreſim faciunt; quando, ut recte HILARIUS PICTAVIENSIS *Libro II. de Trinitate pag. mihi* 789. *ſenſus, non ſermo fit crimen.*

Porro quid facilius, quam in dogmate nec expenſo, nec ſancito excidere illa, quæ reprehenſionem nunc incurrunt, certe excuſari apud Theologos nullatenus poſſunt? Ejusmodi ſcriptorum fuit idem inſtitutum, quod tenet navarchus in mari ſcopuloſo. Inter duas oppoſitas cautes, ex-

tantem

tantem unam, atque conspicuam, alteram depressam, imo sub undis latentem agens suam onerariam, dum magis ab hac cavet, quæ oculos incurrit, apud alteram cito potest sic offendere, ut navem non dico frangat, sed quatiat tamen ac lædat tantisper. Ad similem modum Pater orthodoxus, quem scopuli priorum hæresum haud laterent, quod alios, naufragio necdum infames parum nosset, laborabat maxime in fugiendis, a quibus metus erat, parum solicitus de ceteris, a quibus nildum periculi vidit imminere. Quæ cum omnia dicantur apposite, et rem, de qua agitur, velut ob oculos statuant, non est tamen jucundior similitudo, ac illa, quam legimus apud THEODORETUM *Dialogo III. cap.* 30. *editionis Sirmondi: Vehemens cum adversariis contentio fecit, ut modum excederent. Quod et iis, qui arbores colunt, evenire solet. Cum enim incurvam plantam viderint, non solum ad rectam formam exigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt; ut per nimiam in contrarium inflexionem ad rectum statum perducatur.* Alia alii, qui de Patribus, et Hæresibus scripserunt: atque ipse DALLÆUS *Libro I. de usu Patrum*; qui in rem eam (imo suam) multa cumulavit *capite quinto.*

Opus est ergo, ut scriptoris vita legatur ante libros; imo judicia quoque de his lata; quod illi nullo negotio constat, qui instructus est proba editione. Reliqui debent adire quemdam, qui agit de his scriptoribus; puta ALEXANDRUM,

Du-

Dupinum, Tillemontium, Caveum, Nourryum, Sardagnam etc.

Quod monui de phrafibus, et ratione propria loquendi, minus eft in expedito. Talia nequeunt in anteceffum a lectore fciri, verum ufu paulatim difcuntur. Quamquam non de nihilo dixi, etiam hanc notitiam præmittendam effe generatim. Nam cum cujusque fæculi fit certa acceptio verborum apud Græcos, et Latinos, per fe confequitur, debere ordinem temporum fervari in legendo. Quod qui facit, velut ducitur a primo, ut hic fecundum, fecundus tertium, tertius quartum explicet. Hujus varietatis in acceptione verborum dabo unicum exemplum, nec valde obvium. Quod nobis *Sacerdos* eft, veteribus, ac maxime Chrysostomo, Epifcopum fignificat; unde *libri* ejus excellentes *de Sacerdotio*, id eft Epifcopatu. Quod cum multi nefcirent, graviffime hallucinati funt, tribuentes cuilibet rem facram facienti, quod folius eft Antiftitis. Unus, cum legiffet, dicere Chryfoftomum, fuo judicio paucos facerdotum confequi falutem, emifit librum: *Sacerdos aut fanctus, aut reprobus*; quo ab Ecclefiafticis rudibus metum, et admirationem retulit, ab eruditis contemptum. Repetiit id nuper quidam ab eo deceptus, quamvis moderatius, atque reftrictius; perperam tamen, ac præter mentem fapientiffimi doctoris.

Quod fi obfcurius nonnulli fcribunt, habentque, ut dictum de Tertulliano fuit, dictionem

nem peculiarem, quæ valde recedat a ceteris, confugiendum ad Lexica Critica, quæ hic utramque paginam faciunt: ac ſuo loco curate a nobis indicabuntur.

III. Diligenter notat mutationes, quæ occurrunt paſſim in ſæculis ſuperioribus. Mutationes autem dico in diſciplina, ratione explicandi, uſu myſteriorum, adminiſtranda poteſtate. Nam in ipſa doctrina non fuiſſe hoc magis patebit, quo quis longius erit progreſſus in legendo.

Uſus et Accomodatio.

Debet inter legendum attendere ad mutationes factas.

Sic olim *Baptiſmus* non niſi feſtis diebus Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes collatus.

Confirmatio recentibus a Baptiſmo data.

Euchariſtia ſpecie utraque: et quod magis miſere, jam infantibus diſtributa.

Pœnitentiæ facies longe alia, et quidem in pluribus capitibus.

Extrema Unctio non tantum præmiſſa viatico, verum etiam intra eundem morbum repetita.

In *Matrimonio* novata quam plurima, tam quod ſpectat ſolennitatem, quam impedimenta ejus.

Hic vero lector, ſolitus priſca ſuſpicere, ſi cauſas expendat, non ideo repudiabit, damnabitque uſus præſentes, quomodocunque converſos, ac variatos; verum habebit ob oculos Roberti Paululi ſapientiſſimam hortationem: „Non per „levitatem eſſe introductas novas praxes, veteres„antiquatas. Patres ſuo tempore feciſſe, ordinaſ-

„ſeque,

„feque, quod e bono Fidelium fuerat; Ecclefiam „autem, mutatis etiam rebus, ac littera, fpiritum „tamen Canonum antiquorum confervaffe; cum „nec commode fieri poffit, ac fæpe nec expediat, „revocare priorem patrum difciplina nova aboli- „ta: firmiterque credendum fit de illis, quibus „ecclefiafticæ difciplinæ cura incumbit, antiquæ „rationem fic habituros, ut nec hodiernam con- „temnant." *Libro II. de Sacramentis cap.* 12. *Inter opera Hugonis Victorini.*

IV. Quando ejusmodi eft mutatio, ut habeat difficultatem, illa oblata, etiam extra ordinem confulit æqualium fcripta, quæ affundant lucem. Nam fæpe nec opinantem ab his tricis expedient.

Ufus, et Accomodatio.

Hac in re vehementer eft aberratum ab fuperiori ætate. Plerique, cum ftadium Theologiæ effent emenfi, fat habebant tenere fpeciofas rationes, quibus ingenia perfpicacium hominum declinant potius, quam tollunt objecta. Nam multa funt hujus generis, quæ fcholafticam fubtilitatem fic torferunt, ut præfidio familiarium *diftinctionum* in quæftione implexa exitum alium non reperirent. Atque hoc egregii fcriptores, ac præcipue illuftris Godovius in fua *Hiftoria ecclefiaftica* notavit. *Harumque rationem ex ipfa Hiftoria petere.*

Exemplum obvium præbet *Canon Gelafii Diftinct.* 2. *apud Gratianum de Confecrat.* * qui habet hunc

* Inter opufcula Gelafii vocatur *Decretum contra Manichæos.*

hunc in modum: *Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant; qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Hic deprehensi doctores scholarum, quando carent notitia antiquitatis, ideoque ad argutias delapsi, ne deberent *usum calicis*, quem vocant, sacræ mensæ convivis omnibus cedere, non habent, quo confugiant, quam epulas ipsius sacerdotis. Nec enim quid amplius extundi ex his verbis illorum præcipui responderunt. Verum periti Historiæ, et cognitores ætatis ejus inierunt aliam viam, quæ accederet propius ad veritatem. Nam Canonem, qui aures catholicas vehementer percellit, sic declarant. Illa tempestate, quando una in templo ara stabat, unumque de die fiebat sacrum, sub quo omnes cum Episcopo sacerdotes divinam rem faciebant (haud secus ac hodie *feriis Ordinationum*) tandem omnes et *Clerici* et *Laici*, qui aderant, partem *sub specie utraque* panis et vini simul capiebant. Ita diserte Critici ex documentis antiquis referunt. Atque hac minime fucata animadversione, quidquid facessebat negotium, continuo sublatum est. Una mirari licet summorum Pontificum ad id ætatis insignem solertiam, qui hoc indicio latentes in urbe Manichæos detectum ibant. Nam isti magnopere horrebant vinum, et phrasi domestica *fel*

prin-

principis tenebrarum vocabant. En superſtitionem a Gelaſio notatam! cui certiſſimum addit ſuffragium *Sermo S.* LEONIS *quartus de Quadrageſima*: auctorque *Libri Pontificalis*, de ipſo Gelaſio memorantis, cum hic ſacris præeſſet, Manichæos repertos Romæ, quos juſſiſſet in exilium deportari. Ita qui hæc objiciunt, non noſtris, verum ſuis rebus incommodant, atque una *Tolerantiæ*, quam clamant, vulnus graviſſimum infligunt.

Quod dictum eſt de Manichæis, illuſtrat GUILIELMUS CAVE *ad annum* 440. *Hiſtoriæ Litterariæ Eccleſiaſticorum Scriptorum.* Ait enim: *Anno* 443. *quamplures Manichæi a Vandalis ex Africa fugati Romæ latebras quærebant: et quo tutius laterent, Catholicorum myſteriis ſe immiſcuerunt. Hoc vero indicio tanquam ſorices ſe prodebant, quod ſumpto pane poculum Euchariſticum reſpuebant. Monuit id plebem mox Leo: quaque nota execrabiles hæretici eſſent diſcernendi. En ipſius verba*: Cum ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audent intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum, ne penitus latere non poſſint, ore indigno Chriſti corpus accipiant; ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant. Quod ideo veſtræ notum facimus ſanctitati, ut vobis hujusmodi homines et his manifeſtentur indiciis, et quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, a ſanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur. *In Quadrag. Serm.* 4. *pag.* 217. Quibus ſubdit: *Hoc igitur tempore in Eccleſia Romana*

fideles Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumere ſolebant: *et qui aliter facereut, infami hæreſeos ſigno palam notabantur. Si alia jam ſint Eccleſiæ Romanæ placita, mores alii, viderint, quorum intereſt.* Ubi doctor Anglus ſophiſmate certiſſimo utitur; tum quod nil dicit de ſacro, ad cujus finem nullo diſcrimine corpus Domini *ſub utraque ſpecie* e manu ſacerdotis omnes ſumebant; tum quod hæreſin cum hæreſis indicio aperte confundit. Non enim habebatur hæreticum, ſi cui privato vel ægro præberetur ſpecies unica; ſed cum quis ſpeciem vini declinaret, ſe prodebat hæreſi alia implicitum; videlicet in hac Chriſtum non eſſe: quique ſunt alii Manichæorum errores, non tot quin plures. Eccleſia, quæ pro comperto habet, nec ſine carne *ſub ſpecie vini*, nec ſine ſanguine *ſub ſpecie panis*, Chriſtum eſſe, quoties e re ſua videbitur, jam *ſub utraque*, jam *ſub una ſpecie* dominicam cœnam præbere poteſt: atque hæc ejus placita moresque ſemper fuerunt, et erunt. Viderint hoc pariter, quorum intereſt, ut Cavei verba redhibeantur. Nam intereſt profecto quamplurimum.

Idipſum toties dicas de veteri jure Eccleſiaſtico. Nam et recentius ſine notitia illorum Codicum nec explicari ſatis, nec intelligi poteſt: et in complexu amborum (quæ eſt optima ratio tradendi ejus) utramque paginam Hiſtoria facit. Nempe apud majores, quo ſunt magis a nobis remoti, fere nulla ſcriptura jus illud conſtabat: nec etiam aliunde, quam ab avita obſervatione arceſſebatur.

Ita

Ita diſerte *S.* AUGUSTINUS *Libro II. cap.* 9. *de Baptiſmo contra Donatiſtas: Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, et hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Quid eſt autem conſuetudo Eccleſiarum, quam ejus temporis rationes propriæ? Unde vero has petent homines ſacri? Ex Jure hodierno? Minime gentium. Raro enim, ac curſim has tradunt interpretes ejus, etiam fuſiſſimi. Ex tractatibus, et quæſtionibus Theologicis? Multo etiam minus. Aut quos tu mihi Theologos nominas earundem rerum diribitores? *Morales, Dogmaticos, Polemicos, Exegeticos, Scholaſticos?* Horum quosdam iſta ne tangunt quidem; alii, ut maxime vellent ac poſſent, per molem et varietatem materiæ, quam verſant, dimittere coguntur. Nonnulli ex principibus, qui ſe latius extendunt, capita plura ſuis placitis immiſcent; ſed ſunt iidem, quos ſcimus in Hiſtoria maxime verſatos, hujusque præ ceteris amantes Itaque ipſi ad fontes nos remittunt, ſuoque exemplo impenſe commendant illud ſtudium, illam notitiam ſacræ antiquitatis, de qua nunc ſermonem habemus. Hæc ſola docet originem inſtitutorum, conditionem ætatis, et negotiorum in omni ſacra diſciplina, vel adminiſtratione: ac veriſſime dicam, verba dare, nil aliud, qui ſive privatim, ſive publice hæc omnia ſuppleturos ſe pollicentur. Nemo ducere alios poteſt, quod ipſe non didicit. Illi vero minime didicerunt, qui ita de ſe prædicant; quia, ſi didiciſſent, tautopere non prædi-

 carent.

carent. Methodus protrita hactenus præcipuum est argumentum, quod possit efficere, quam sit necessaria lectio veterum monumentorum.

V. Vehementer attendit ad initia sive bonorum, sive malorum, quæ fuerunt apud Christianos ubicunque gentium, atque terrarum.

Usus et Accomodatio.

Rursum initia rerum diligentius observare, imo respicere itentidem inter progressus.

Qui hæc observant, dum legunt Ecclesiasticos codices, negotio nullo comperient, hinc omnia in partem utramque fluxisse, quod profani, et sacerdotes vel desciverint a vetere instituto, vel edocti damno suo hoc iterum revocarent.

Eadem opera providentiæ mirabilem œconomiam discunt, inter bona permittentis mala quædam: et ex malis bona alia eruentis. Quando id maxime ostendit supremum administratorem, qui modo eodem, quo hominum iniquitas recte factis suis abuti, sic solet divina æquitas male factis ipsorum ad fines alios sibi opportunos uti. *Sola est divina vis, cui mala quoque bona sunt; cum competenter eis utendo alicujus boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur; ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem in alium, tamen in ordinem relabatur; ne quid in providentiæ regno liceat temeritati;* quemadmodum tam acute, quam eleganter vir summus SEVERINUS BOËTHIUS animadvertit. * Putant Protestantes, se causæ suæ patroci-

* *Libro IV, de Consolatione Philosophiæ Prosa 6.*

trocinari, quando dicunt, disciplinam et doctrinam Ecclesiæ ab excessu Apostolorum, certe secundo sæculo fecisse vitium; sed potissimum sæculo quarto, et quinto degenerasse. Quo ipso Reformationis, quam vocant, nervos incidunt; minime reputantes, se detrahere Christo, in cujus promissis tam parum fidei et constantiæ agnoscunt. Quanto satius persuaderent sibi providentiam in Ecclesia magis, quam in natura eminere: atque illam a conditore nusquam desertam in necessariis, et præcipuis, tam sanctitatem, quam veritatem hunc in diem retinuisse?

VI. In percurrendo monumenta veterum vel profanæ Historiæ rationem habet. Sæpissime enim cum sacra connectitur. Mutuo et accipiunt lucem, et reddunt.

Usus, et Accomodatio.

Ut de nexibus ceteris, quas quidam Critici in utraque Historia varios ostendunt, nunc nihil dicamus, principes per fas, et nefas se miscebant causis religionis: ac ex studiis horum pax et bellum Ecclesiæ pendebat. Quid quod ipsi Ecclesiastici (ut hodie videmus, et sine justissima indignatione vix possumus referre) aularum asseclæ fierent: ibique gratiam consecuti, res omnes sacras sive suis sive regis affectibus servire cogerent? Ita Eusebius Nicomediensis, ita Ursacius, et Valens, ita Theophilus Alexandrinus, ita Vigilius, ita Paulus Constantinopolitanus,

Non negligat H storiam profanam.

TANUS, ita PHOTIUS, et ſæculis omnibus alii aliique numero ingenti fecerunt.

Hunc ergo nexum expendere oportet; quod hic geritur negotium anceps, et res in conflictu jurium, atque cauſarum momenti quamplurimum habet. Quamquam hoc onere nos multum levarunt hodierni ſcriptores Eccleſiaſticorum Annalium præſertim GODOVIUS, DUMENILIUS, et qui nuperrime aſpexit lucem, BERALTUS. Nil enim omittunt eorum, in quibus conſociatio eſt quædam Hiſtoriæ noſtræ cum externa. FLORIUM de induſtria non appellavi, etſi hac in re præſtiterit plurimum. Sed ille, cum lis eſt orta inter imperium, et ſacerdotium, præſertim in Galliis, et inter ſocios, ſibi nimis indulget, raroque inter utramque partem medius manet. Æquiorem video LUDOVICUM MAIMBURGUM, et ipſum popularem ejus, in *Hiſtoria de lapſu Romani Imperii poſt Carolum magnum, et de Cæſarum contentionibus cum ſummo Pontifice propter confirmationes * et jura ſuprema.* Cum enim eorum ſæculorum monumenta huc ſpectantia verſarit ſingulari patientia, quod omnes fatentur, nec quid horum diſſimulat, ſic etiam tuetur libertatem de controverſia judicandi; ut qui legunt eum attentius, jam Gallum in eo, jam Eccleſiaſticum requirant ſæpiſſime. Sed de ſtudio partium, quæ peſtis eſt Hiſtoriæ tam atrox quam publica, in loco dicetur.

VII.

* Voce barbara *Inveſtituras* dicimus.

VII. Ars Critica ſtudio veritatis indifferentem ſe præbet ad quosvis eventus: bona et mala perinde habet, ut moveatur in neutram partem; ſed ut ſupra reſpectu nationum a favore ac odio pura, ita hic a ſervitute libera, in ferendo judicio tam res, quam perſonas non ſibi, ſed potius ſe illis accommodet, et ſalva reverentia, quam nunquam ponit, ſcapham ſcapham appellet.

Uſus, et Accomodatio.

Nulli affectui indulget.

Non ſolum Hebræi, ſed etiam Græci ac Romani ſuos magiſtros malebant patres, quam doctores vocare. Nos ſcriptores Eccleſiæ ſic ſalutamus, tam ætatis cauſa, quam auctoritatis. Et ætatis quidem, quia jam quarto ſæculo S. Basilius plaudentibus omnibus * ſcripſit: *Veneranda ſunt vetuſta dogmata; quod ob antiquitatem, ceu canitiem quamdam, habeant quiddam reverendum.* Et certe in hoc differunt res religionis ab aliis, quæ uſu perficiuntur; ubi neceſſe eſt, nova veteribus ſemper antecellere. Sed etiam propter auctoritatem debetur hæc appellatio. Cum enim Chriſto filios ſuſtulerint quamplurimos, hosque finxerint, ac educarint, poſteris quoque ſunt propoſiti, ut eos venerentur patrum loco; quia omnibus dati magiſtri, quemadmodum annis, ſic vitæ ratione, Apoſtolis propiores fuerunt. Præcipuos illorum Spiritus ſanctus *poſuit regere Eccleſiam Dei*: in quo munere ſunt tam probe verſati, tamque diligenter,

* *Libro de Spiritu ſancto cap. 29.*

ter, ut cuncta exigentes ad præscriptum Evangelii, hoc etiam sanguine confirmarent. Quidquod libros suos hac mente scripserunt, ut prodessent posteris, ac utilitas latius manaret? Stilo non vulgarem dignitatem, sed etiam pondus adjicit, qui, omnibus dictis exemplum jungens, nil docet, quod non ipse præstiterit. * Igitur ex æquo facit, qui volens vetustatis promptuarium adire, concipit reverentiam non solum erga res, sed etiam auctores, quorum opera administratæ hæ sunt, aut litteris mandatæ. Sed falluntur vehementer, quando horum discrimen non faciunt, sed pares plerosque habent. Quamprimum enim audiunt nominari Patrem, quasi cœlo demissum spectant, ac legunt; putantes versus singulos redolere sanctitatem, ac Christum spirare. Quæ nimia est reverentia. Nec enim, ut fatear ingenue, vixerunt omnes, quemadmodum scripserunt; imo, ut majus quid dicam, illi ipsi, qui erant admirabili pietate, indulgentia, mansuetudine, sibi semper non constabant. Ut summi fuerint, tamen homines fuerunt. Ergo humanitus quid pluribus accidit tam in vita, quam in scriptis tantorum virorum; et quidem quod scripta spectat, cave putes, conspirasse aliquando in errorem; verum ita habe, incautos ac nescientes aliquem singulos admisisse.

Patribus reverentiam habet singularem;

nec tamen naevos dissimulat.

Nam

* Vide, quæ hanc in rem fuse, curateque disserui *Libro I. de Eloquentia Patrum Dissertatione* 3. *cap* 2. *a num.* 22. Monere Lectorem hoc loco juvat, quod opus *de Eloquentia Patrum* in eadem, in qua præsens, officina libraria *Fr. Ant. Veith* venale prostet.

Nam quidam ex ſanctiſſimis PAPIAM ſecuti *regnum Chriſti millenarium* ſtatuerunt. Quidam volebant, hæreticos de integro purgandos ſacro fonte. Alii innuerunt, ductum naturæ, et rationem humanam per ſe ducere ad ſalutem. Alii in negotio *Trinitatis* re nondum expenſa aliqua ſecurius, quam decuit, protulerunt Pluribus, cum fuerint in recta ſententia; tamen, cum dicerent comparate aut impetu ſermonis ad hyperbolem raperentur, exciderunt verba, quæ nemo poſſit ad legem exactæ veritatis revocare *. Quid igitur? clamores tollamus? damnemus eos ad animandum hæreticos: et dum errorem evellimus, alium ſeramus? Minime; ſed ſi eos cum delectu et judicio ut homines; cum modeſtia item atque honore ut Patres volvamus. Hæc eſt media illa via, qua itur tutiſſime. Reverenter, nec ſine præfatione veniæ hi lapſus notari debent: quædam, cum uſum non habent, præſtat oblitterare, et relinquere in tenebris, quam protrahere in lucem, ne oculos debiliores offendant. Certe ſcriptor citra ignominiam dimittendus eſt; ut quisque videat, te ſcriptum quoque benigne accipere, lenire, trahere in bonam partem; imo verbo excuſare potius, quam accuſare. Satis eſt enim, ſi ratum non habeas: et cum iſti cœleſtibus donis velut licentiam ſint conſecuti, ut tractentur mi- *Utriusque complures ſunt cauſæ.*

C 5 tiſſime,

* Recole hic, quæ ſupra *praecepto II.* de HIERONYMO et AUGUSTINO dixi.

tissime, non permittas aliis, ut sibi idem sumant, auferantque impune; quando ipsi, si viverent, castigarent sua dicta non rogati, ac sententiam in se primi ferrent. Quod cum sæpe sit monitum, hic iterum moneri debet; quia degimus tempora, quibus multi volunt inimicitiis Patrum clarescere; putantque se tanto majores futuros, quanto illi minores evaserint. Ergo, quoties licet, deprimunt eos: quamque consensu sæculorum adepti sunt venerationem, prorsus evertunt. Istud beatus AUGUSTINUS, cum abesset ab omni invidia, et sibi minus, quam aliis indulgeret, in Juliano, Pelagii sectatore, culpavit vehementer; ut adeo *miserabilem insaniam* vocaret; cui sit fortiter occurrendum; quod fidem tantorum hominum eodem modo deceret tueri adversus dicacitatem, et petulantiam, quo contra professos hostes Evangelium ipsum defenderetur. Sed de hoc in aliis operibus fuse perscripsi.

Eodem refertur, ne facie illa simplici priorum temporum, induci nos sinamus ad contemptum: sintque despectui, quæ debebant venerationem habere: Ageremus enim contra clarissimam legem æquitatis, quando res adolescentis Ecclesiæ, in clade tanta litterarum, et imperio ad ruinam vergente, exigeremus ad lucem nostram, quæ post scholas erectas, totque libros emissos artibus singulis est plurima illata. Ut enim de Philosophia, et Historia nil dicam, in ipsa doctrina Morum explicavimus varia, quæ in expe-

dito

dito tum non erant. Offendit me ſæpenumero, eum audio dicentes, *Ethicam a Scriptoribus Eccleſiæ obiter tractatam: et quæ huc pertinerent, inter legendum omittere licere, vel ſtrictim percurrere.* Licet enim hanc diſciplinam ratione et via non tradiderint, ut nos ſolemus (nam id neque in Evangelio eſt factum) tamen ex ſola narratione præclare dictorum, et geſtorum, ſtudioquo pietatis tum magis ardente, vivendi normam ſaluberrimam eruemus. Puriora illa ſæcula virtutis cujusque exempla magna tulerunt: et plures ſcio, qui, cum parum afficerentur ſcriptis aſcetarum, eaque abjicerent, delati ad præcepta, factave primorum temporum, dederunt ſe penitus pietati, ac res fluxas ſusque deque habuerunt. Nempe receptum eſt opinione communi perſpicacium hominum, vetera, quo minorem præferunt ſpeciem, tanto majorem religionem ſpirare: et, quod eſt toties dictum, neque dici unquam ſatis poteſt, verba movere, exempla trahere: multoque plenius opere, quam præceptis doceri; quia cognatum eſt omnibus nobis imitandi ſtudium, facimusque omnia libentius, ſi quem ducem ſumus nacti. Quam in rem præclare MARCUS TULLIUS *Oratione pro Archia poëta num.* 6. admonuit: ***Quam multas nobis imagines non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortiſſimorum virorum expreſſas, ſcriptores et Græci, et Latini reliquerunt! Quas ego mihi ſemper in adminiſtranda republica proponens, animum et mentem meam ipſa cogitatione hominum excellen-***

Etiam in ipſa morum doctrina, quam methodo nos tradiderant.

cellentium conformabam. Quod ſi tantum valet apud profanos, cæleſtisque doctrinæ expertes, quanto magis valere apud nos debet, qui non præſentibus ſumus nati, ſed futuris? Atque utinam hæc lectio noſtra tempeſtate revocari in uſum poſſet! non ſolum apud religioſos, et ſacerdotes, ſed etiam reliquos ſtatus; præſertim matronas, juvenes, puellas. Quam ſanctior horum vita, quam fœcundior illorum doctrina foret! Cum autem poſterius ſperare vix liceat, tanto magis curandum hominibus ſacris, ut hæc imprimant ſibi: ſicque poſſint et aliis, quorum curam gerunt, impendio commendare.

Quamquam, ut verum dicam, in *Pædagogo* CLEMENTIS, in *Opuſculis* CYPRIANI, in *Moralibus* BASILII, in *Officiis*, aliisque AMBROSII, in *Tractatibus* CHRYSOSTOMI, in HIERONYMI, AUGUSTINI, PAULINI *Epiſtolis* (mitto, quæ tot in *Sermonibus* habentur) doctrina morum præclare traditur *: et ſunt innumera apud Græcos, ac Latinos; in quibus ratio ſingulorum ſtatuum habetur: ac tam pro Præſulibus et Eccleſiaſticis, quam regibus, principibus, conjugibus, viduis, virginibus, cœnobitis documenta aurea leguntur. Quare apum inſtar ad hos hortos convolemus. Nam cum poni interdum poſſint alia ſtudia, certe intermitti, a ſtudio Ethices nusquam erit nobis vacandum.

* Non debent hic præteriri *Apophtegmata Patrum* a Joanne-Baptiſta Cotelerio *in Eccleſiae Graecae Monumentis Tomo I. a pagina* 338. exhibita. Habent enim multa inſignia, non ſolum pro coenobitis, ſed etiam reliquis quibuscunque.

candum; quia non eſt aliquod vitæ tempus, quo deceat Chriſtianum ab ornandis moribus, componendisque affectibus ſuis avocari. Juvat autem quod ſupra dixi, Sanctorum monitis etiam exempla jungere. Quem in finem tum *Vitæ Patrum ex* Rosweidi *recenſione*, tum *Acta Martyrum ſincera*, quæ Ruinartus dedit, pro omnibus in hoc genere conducent. Vide ad hæc monita Georgii Paschii lucubrationem *de variis modis Moralia tradendi.*

Sed maxime in rebus Diſciplinae colendus veterum candor.

Doctrinæ morum aſtines ſunt Germani *Canones*, qui quidem legi haud poſſunt, quin ſpeciem objiciant paſtorum illorum, qui greges Chriſti tum paſcebant: ſuamque dignitatem ſine ullo præſidio alio per ſe ipſi tuebantur. Absque opibus, ac cetera pompa, planeque imparati ab his, quibus circumfluunt nunc ſucceſſores, cum præter virtutes ſuas haberent neminem in comitatu, per ipſam exiſtimationem probitatis legatos Chriſti referebant, qui malis terrori, bonis ſolatio eſſent: principes ipſos monerent officii ſui: a juribus ſacris nec latum unguem abirent: objectu pectoris tegerent aras, et commiſſum ſibi populum, quo libebat, nutu ſolo impellerent. Nempe cum religio non egeat adminiculis humanis, quod deerat natalibus, ac ſplendori externo, penſabat auctoritas: Deusque ipſe fidelibus miniſtris gratiam, venerationem, fiduciam, obſequium conciliabat. Amabantur juxta ac timebantur. Quod contra nunc accidit; cum ſacra poteſtas deridi-

culo

culo eſt præfectis civilibus, vileſcitque in dies magis, ex quo minores antiſtites jus ſuum proferre putant jure primatus imminuto. Ergo ſinum vetuſtatis etiam hac ex parte rimemur: ac regimen ſacrum, quale nobis illi Canones exhibent, animo centies repræſentemus. Nil præſentius ad peſtem morum comprimendam, abuſusque tollendos; imo omnia, ſaltem in cœtibus, reſtituenda, quæ per ignaviam in divinis inſtitutis, ritibus, officiis, ratione docendi, et caſtigandi, ſacrorumque univerſo miniſterio luxata ſunt. Singula apud privatos novam faciem induent: diſciplina domeſtica, quæ cæpit prorſus remittere, tantiſper ſe colliget, pelleturque lethalis torpor, Reſpicient ſe ipſi magiſtratus: viri non docti tantum, ſed etiam experti, probique præficientur Eccleſiis; qui nunquam ſinant, ut metu rigoris priſtini detrectetur emendatio. Ad quod obtinendum ſacerdos quisque poteſt ſymbolam conferre; præſertim ſi æqualibus, ſi diſcipulis, ſi patribusfamilias partes officii amanter inculcet. Semper erant, quos pigeat a priſcis moribus abiiſſe tantopere; Deoque juvante veternum excutient, veſtigia majorum relegent; ut abſoluta *Tridentina Synodo*, Epiſcopi multi, et inter alios S. Carolus Borromæus ſucceſſu ingenti per egregios miniſtros effecit.

Porro cum Canones leguntur, danda opera eſt, ut in illis, qui ritus ſpectant, non hæreas externæ ſpeciei; quæ ſæpe præter ſcenam, vel ce-

rimo-

rimoniam præferre nihil videtur. Interna ſpectanda, et cortice detracto nucleus eruendus eſt. Nam ut BERNARDUS ESPENIUS *Tractatu Hiſtorico-Canonico in JusEccleſiaſticum univerſum Parte X. cap.* I. §. 2. prudenter admonuit, ſæpe ſub illa superficie exterioris diſciplinæ quædam regulæ morum latent, ſane quam ſanctiſſimæ; cujus rei exempla quinque ſubjungit de *abſtinentia ſacrorum miniſtrorum a nuptiis*: de eorum *immunitate ab oneribus civilibus*: de *aſſignatis decimis*, *ac proventibus*: de *Tonſura Clericali*: de *intervallis ſuſcipiendorum ordinum*; quæ habent ſingula cauſas graviſſimas, mentemque ipſius Evangelii, et Apoſtolorum ſic declarant, ut pateat luculenter, conditionem ſacrorum hominum ſine his longiſſime abfuturam a præſtituto ſibi fine. Unde concludit eo ipſo loco. *Ex his quisque facile judicare poteſt, quam utile, imo neceſſarium ſit pro aſſequenda genuina diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitia non hærere in ipſo exteriori cortice, ſed rationem, et ſpiritum Eccleſiæ in ea ſtabilienda præcipue eſſe rimandum, et attendendum.*

VIII. Studioſus antiquitatis non ideo ſolum legit ut lecta ſciat, atque cognoſcat more aliorum legentium, ſed ut pronuntiet de illis, ac ſententiam ferat; poſſitque ſingulorum rationem reddere, ſi quando uſus tulerit.

Hic vertitur cardo rei apud homines, quos cupiam hoc libro erudire. Ratio jam habetur ex ſupra dictis; ſed quædam addenda ſunt, quibus firme-

Quidquid legit, expendat, ac dijudicet. ſcire haud contentus.

firmetur magis, ac illuſtretur. Illi qui legat animi cauſa, ut fallat tempus, ut ſe avocet a ſeriis, ut colligat materiem ſermonum, ſatis fuerit ſcientia nuda rerum, quæ olim in Eccleſia per omnes ætates ſive bona, ſive mala acciderunt. Habet enim plurimum varietatis notitia tot eventuum: atque ex ipſa varietate voluptas exiſtit non minima contuentis principes viros, a quibus hæc omnia ſunt adminiſtrata: tum ſeriem rerum conſequentium ſeſe; bella, pugnas, motus, coitiones, turbas, lites, obtentus, novitates; præſertim cum invidiæ quid habent, vel admirationis. Quod maxime fit in ſubitis mutationibus, in diſcidiis Eccleſiarum, in ſparſis erroribus, indeque moto e ſedibus ſuis orbe univerſo; cum ſacri antiſtites evocati a gregibus ſuis coirent in Synodos, et ſtatuerent, quod publica e re nominis chriſtiani decens, commodum, neceſſarium videretur. Augetur hic ſenſus oblectamenti, et remiſſionis animi, cum cognitio locorum, ac temporum acceſſerit, quæ per ipſum uſum ſingula ut præſentia ſiſtit eruditis lectoribus. Verum qui longius non progreditur, ſed gradum hic figit: cum parum ſollicitus facta a cauſis interioribus arceſſere, nexum conſiliorum, et commiſſuras operis non expendit, quaſi in recordatione eſſet ſita omnis utilitas: nec in eo caput eſſet ac ſumma illius, ut ſolertia in judicando, et animadverſione liberali, quidquid occurrit gravius, magnique momenti, in rem propriam verteretur, incaſſum laborat, et

tam

tam vetuſtati, quam diſciplinæ nobiliſſimæ, quam CICERO * *teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nuntiam vetuſtatis appellat*, injuriam palmarem facit. Hiſtoriam enim per negleƈtum melioris uſus neſcit aptare, perditque horas, non hunc in finem datas. Certe apud cordatos non poteſt magis prodere, quam parum habeat ſubaƈtæ rationis, qui ſic verſatur in ſcriptis antiquorum. Quanto magis Theologus, cujus ſunt præcipuæ partes in quæſtionibus dogmaticis, quæ absque judicio, ac principiorum intima cognitione turbantur potius, quam componuntur? Peccet minus, quam alii nil agendo, peccat tamen: et, ut audacius videatur dici, nihilominus dicendum eſt, me malle hos, qui in ſtudio Theologiæ Scholaſticos terunt, et in magiſtri ſententia ſola acquieſcunt, quam qui jaƈto nullo fundamento, cum indolem ſacrorum negotiorum ignorent, ex memoria de dogmatis, diſciplina, Hiſtoria paſſim decernunt, voluntque videri, omnes leƈtionis impatientes in ignoratione maxima verſari.

Uſus, et Accomodatio.

Qui nondum maturuerunt, et aſſuetudine diſcernendi carent, ſibi paſſim perſuadent, ſaltem in parte, quæ eſt mere hiſtorica, relatione exemplorum, et teſtimoniorum rem totam abſolvi. Non id agitur o mei! non id agitur. Qui enim conten-

Hiſtoria ipſa non legatur animi cauſa, vel temporis fallendi.

* *Libro II. de Oratore num. 9.*

contentus eſt narrationibus, equidem habet, quo ſuam, et aliorum appetentiam paſcat: habet quod miretur: habet quod laudet, vituperet, vel in medio relinquat; ſed quia, quæ factum circumſtant, neque expendit, neque connectit cum præviis, et conſequentibus: quia operis difficultatem, arcanos fines, adminicula non perſpicit; verbo dicam, quia hæret in foliis, non fructus petit: nunquam ſtudia populorum, agitationes affectuum, principum conſilia, machinas veteratorum diſcet. Hoc POLYBIUS, quem ego inter duces hujus ſcientiæ præcipuos numero, vel de profana Hiſtoria admonuit; ait enim ſapienter, *qui ſic legat, potius ſpectaculum, quam verum documentum habere*; quod ſcilicet in conſuetudine communis commercii, ad quod natus eſt, veriſimilia ab his, quæ ſpecie veri carent, non diſtinguat: teneatve, quid caſu, quid ingenio, cupiditate profectum: aut præſidiis, quæ recta ratio, ſtudium officii, amor religionis ſuaſit, debeatur. Ne quidem experientiam ſejunget a commentis [a]: quæque conjectando dicuntur ab his, quæ habenda ſunt pro exploratis, imo teſtes dant non corruptos, triobolares, inimicos, remotos a probitate, temporum nec vicinos, nec æquales. In ſumma, inſiſtet relatis: quod proditum eſt, teſtatum habebit: elogia pro judiciis recipiet: hiſtoriam arcanam cum publica, annales cum commentariis, audita cum viſis, hauſta e fon-

---

[a] Sic voco *ſpeculationem*.

e fontibus cum derivatis, denique ſcripta cum his, quæ ſolo ſermone feruntur, perpetuo miſcebit.

Judicium ſervetur ad finem.

Denique ne locum a libro, velut membrum a corpore avellas, cum agitur de capite morum vel dogmatum; ſed quoties quid occurrit, quod videtur pugnare cum Theologis, tum feras ſententiam, cum nexum omnem, neque tantum, quæ præcedunt, ſed etiam quæ ſequuntur, perlegeris. Cautio ſumme neceſſaria ad idoneum judicium ferendum! Nam ſæpe ex perſona adverſarii quædam loquuntur; interdum de induſtria ſuſpendunt lectorem: ac quod præcipuum eſt, reſervant ultimo loco. Quare apud hunc, qui totum abſolvit, nullum errandi periculum. Lineæ extremum ſuperiora omnia declarat, et mens ſcriptoris percepta litem diremit *S. Pacianus in Paræneſi ad Pœnitentiam* graviorum ſcelerum reos ſic perterret, ut putes eum omnem ſpem veniæ illis auferre. Verum hoc more oratorum tam dextre facit, ut pateat ad extremum, propoſitum aliud non habuiſſe, quam ut metu impelleret certius, imo adigeret ad evincendum pudorem, pœnasque ſubeundas. Sed vide aliud ſpecimen, haud paulo jucundius; quod mutuabor a *Joanne* DALLÆO, *Libro I. de uſu Patrum cap.* 5. *ad finem*: *Inter opera Athanaſii*, inquit, *extat Tractatus quidam* *, *in quo neque nitorem, neque nervos, neque acumen jure deſideres. Ceterum ejus Scriptor duarum*

* *Tomo II. p.* 316. *Editionis veteris.*

in Christo naturarum distinctionem tanto nisu constituit, ut ad Nestorii placita deflectere videatur, si ea tantum legas, quæ initio disputationis habentur. At postremum caput ostendit, auctorem in recta fuisse sententia. Si tempore, vel quapiam alia injuria ultimum hoc caput intercidisset, non poterat Scriptor ille propter periculosas locutiones, quas æstu disputationis adversus Eutychianos susceperat, abreptus adhibet, Nestorianus non haberi. Idipsum dicam, si quem lectorum defecisset patientia ante opusculi finem. Certe enim prævertisset auctoris mentem, atque contra, quam erat meritus, de ejus exposita doctrina statuisset.

In omnibus his sunt judicii præcipua partes.

Sed vides, me fieri longiorem, quam initio constitui. Qui judicio valent, per se ipsi hæc discent nullo docente; ut adeo nec opus sit pluribus regulis; contra qui non pollent hac facultate, quantumcunque cumules legum, ac regularum, his nihil præstiteris. Fit enim per hebetudinem mentis, ut vel nesciant in loco adhibere, vel earum nullam habeant rationem *. Quos nolim instituere ego, nec unquam admiserim ad Criticen, sive antiquitatem. Non per Deum! non sunt initiandi his sacris, quæ homines reducant ad sapientiam, a qua olim recesserunt. Tam parum possunt ejusmodi rebus operam dare, quam qui curis, ac laboribus vacui non sunt; vel carent secessu, quo recipiant sese; vel aguntur perturbationibus, ac impuritate transversum rapti, sancti, verique nil

* *Certum omnibus ac exploratum est*, ait in suis *Sententiis* Clariss. RUPEFUCALTIUS, *consilia posse dari, non judicium.*

nil habent; ſed ſunt hoſtes omnium ſacrorum; qui cum metum divinitatis abjecerint, nequeunt alia mente accedere ad litteras, quam ut abutantur his ad perniciem plurimorum. Ubi maxime habet locum illud FLACCI:

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit *.

Sit ſane, ut velint interdum utilitatem percipere, ac ſtare pro vero; parum agent ob inolitam conſuetudinem. Rectiſſime enim dixit: S. JOANNES CASSIANUS *in Collatione Patrum*, neſcio qua; *Ut oculus aliqua re turbatus videre nequit; ita animus præfervidis affectibus commotus veritatem intueri non valet.* Quare puto, neminem eſſe his ſtudiis aptiorem, quam cœnobitam, vel rerum humanarum vinculis ſolutum. Iſte ſolus ſibi vacat: et quando didicit de ſe abjectius ſentire, quam alii, caritati multa tribuet, jactantiæ nihil. Quo minus ſibi ſapere videtur, hoc magis hauriet ex ſapientiæ fontibus; qui quia proficiſcuntur a Deo, ardenti prece et orabit illum quotidie, et exorabit. Sic in uno homine præſidia divina, et humana jungentur, evadetque idoneum inſtrumentum juvandi quocumque mortales. Nam hoſtes veritatis et religionis pudore afficiet: probos ſolabitur, Eccleſiæ lacrymas terget. Servator, cui ſoli ſtudet placere, ſemper quidem, ſed maxime in arduis, implexisque habebit rationem ejus:

D 3 atque

* *Libro I. Epiſt. 2. verſ. 54.*

atque coepta sic secundabit, ut quo viribus suis non erat venturus, comite cœlesti auxilio facillime perducatur.

Caput IV.

Cognitio methodi et ordinis, quem jubet Ars critica in legendo servare.

§. I.

Præcepta generalia.

Præcipui usus est id argumentum, dignumque quod impendio tractetur. Et tractatum est a pluribus diligenter. Verum, si quis probe attendat, insunt ei varia, lectioni omni communia: quæque nil spectant præter externam hujus conditionem. Atque ista nemo a nobis hic requirat. Nam potius a legibus prudentiæ debent peti, quam Critices. Quamquam *Libro IX. de Eloquentia Patrum*, *Dissertatione* 1. *cap.* 1. statui plures regulas, ratione, auctoritate, exemplisque sacris, et profanis probe firmatas. Huc autem illæ recidunt.

Ratio legendi universe.

1. Ne tam curemus magno numero, quam magno delectu legere.
2. Ut insistamus operi, dum sit omne absolutum: et, quod est majoris momenti, secreverimus plane inque adversaria retulerimus.
3. Ut certum servemus, liberumque tempus, isti negotio tribuendum.

4. Ut

4. Ut etiam legamus horis ſubceſivis: neque illa lectione ordinaria excluſam velimus hanc, quæ ſuſcipitur præter ordinem.
5. Ut cum frequens ſit lectio, non ceſſet eſſe moderata.
6. Ut legamus attente, neque obiter, quædam oculis magis, quam animis percurrendo.
7. Ut quædam illuſtria reguſtemus, componamus cum aliis, neque glutiamus tantum, ſed ruminemus etiam, ac concoquamus.
8. Ne ſtudio legendi, at contentione officia alia rumpamus temere, ſive omittamus.
9. Ut potius ſilentio, quam voce, quod quidam ſolent, legamus.
10. Ut ordine id fiat, et norit quisque, quid primo, quid ſecundo, quid tertio loco ſit ſumendum in manus.

Id unum de integro inculcandum eſt; ut copia maxime, et confuſio vitetur. Nimis enim multa complectitur cognitio antiquitatis, quæ ſi velis labore improbo brevi abſolvere, damni plus ferat, quam commodi. Noſtro ſæculo THOMAS WOOLSTON, homo Anglus, cum ſe ardore nimio contuliſſet ad lectionem Patrum, duplicem inſaniam incurrit. Nam primum mente eſt motus: cumque ſe collegiſſet, Evangelium coepit oppugnare, prodigia Chriſti omnia ad allegoriam detorquens. Tam vero inſolenter, tam ſtolide id factum, ut compeſcere morbum nemo poſſet. Putaſſes de integro furere; certe fuit inſanabili per-

vicacia ad obitum usque. Alii in alio genere, in quo poterant præ cunctis eminere, lectione confusa saltem memoriam turbarunt. Nam cum legerent uno die diversa, quæ postulant attentionem: imo a studio leviore transirent ad gravius, cerebro vim intulerunt, onerantes, ut sic dicam hanc animæ facultatem, quæ alimentum concoquere debet, et in succum, sanguinemque convertere. Ut ergo eruditionem pararint, indiggesta erat, ac informis. Quod non solum sermone ostenderunt; in scriptis ipsis apparuit *. Sed lege obsecro, quæ *illo opere* dixi cura multa, et meditatione.

Sed etiam qui te jubent veteres legere, profecto nolunt, ut his jungas quælibet sermoni subjecta, vel rejecta ad calcem. Tum id facies, cum se solis intelligi nequeunt. Secus jacturam temporis magnam facies, confusionem, quam dixi, facilius incurres: ac, quod res est, potius recentibus dabis operam, quam veteribus vacabis. Illa collectanea habent ingentem farraginem, cum ostentatione eruditionis tam imtempestiva, quam inani. Rei summa hic spectatur, non omnia, quæ circumstant, eove trahuntur violenter. Paucos excipiam Commentarios ex summis, qui breviores sunt, vel habent digniora, quam ipse auctor.

* Comprimunt se rerum species. ac impediunt; ut plane appareat in potestate hominis non esse, quæ nimia, vagaque lectione mandavit memoriæ. De quot librorum pretio hic foret detrahendum; si quis vellet oblata occasione ad censuram uti!

auctor. Alias malim eundem librum bis legi, quam semel, tot sarcinis, et quisquiliis onustum.

Demum quae legis, quoties licet, nostris temporibus accommoda. Quod non fit tantum meditatione, sed etiam adversariis probe diggestis. De hoc item in opere *de Eloquentia Patrum, libro eodem* habeo singularem Dissertationem. Addo, quod tum exciderit, esse pro ratione enotandi elegantem methodum, gallice scriptam, insertamque *Bibliothecæ universali* JOANNIS CLERICI *Tom. II. pag.* 1315. Non diffiteor, judicio nondum firmato quædam primum exscribi, quæ post velles omisisse; sed hoc ipsum id commodi habet, quod sic usum acquiras delectus melioris. Porro loci longiores nunquam exscribi debent; ne lectio abrumpatur, et laboris diuturnitas tædium pariat. Præstat hoc indicare; vel eum vacamus, opesque reconditas percurrimus, summatim enotare. Multi ob memoriæ felicitatem has industrias flocci habent; quod minime facerent, si aliquando expendissent secum, quanti intersit ratione, et via progredi in vastioribus argumentis.

§. II.

Præcepta, quæ propius huc faciunt.

Hactenus leges criticæ, quantumvis via longior, et obscura vestigia, iter ipsum impeditum esset, belle procedebant. Nunc alia omnia — non caussa difficultatis, quæ nulla est apud expertos, sed propter discrimen, tam eorum qui docent, quam qui discunt. Nam hoc paragrapho inquiritur *via Compendii*, ubi,

 quæ

quæ ſit brevior: quæ facilius teratur: quæ certius ducat ad terminum, intento digito monſtrari debet. Nec enim vagandum eſt more quorundam, nec cuique habenda fides; ut faciunt non ducem ſecuti, ſed fremitum vocantium ad diverſa. Unde fit, ut inter errores conterant vitam; aliunde brevem, etſi ars, ut habet HIPPOCRATIS *aphoriſmus*, nequaquam tam longa foret. Cum ergo ſit decretum, quo tendamus, ſe obtendunt tot periti viarum, ut horum ipſa nos copia inopes reddat: timendumque ſit, ne tritiſſima regia fiat. Non more plebis habere optima debemus, quæ nunc obtinent apud pleroſque. Non ad opinionem componimur, nec ſecundum ſtudia vivimus, ſed rationem. Quare cogitandum, quod ſcripſit *ad Gallionem fratrem* ANNAEUS SENECA, cum quæreretur de via ad beatitatem.* *Nihil magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur.* Sic enim, ut pergit id loci, neceſſum eſt evenire acervum aliorum ſuper alios ruentium; ut ſolet in confuſione, cum ipſe ſe populus premit. Tum enim cadit nemo, qui non alium trahat. Nam primi ſequentibus impedimento ſunt: ac pauci tantummodo ſibi errant, verum exempli pravitate faciunt errare complures. Malunt enim homines credere aliis, quam ipſi judicare: traditurque per manus ſiniſtrum judicium; ut ſint propria diſpendia plerumque ex alienis.

CRE-

* *Libro de vita beata cap. 1.*

CRENIUS opuſcula plurium collegit *de methodo ſtudiorum* univerſe; de noſtro præter ERASMUM *in methodo ad veram perveniendi Theologiam*, HYPERIUM *Libris quatuor de Theologo, ſeu de ratione ſtudii Theologici*: CHYTRÆUM *de ſtudio Theologiæ recte inchoando*: POSSEVINUM *in Bibliotheca ſelecta de ratione ſtudiorum ad diſciplinas, et ad ſalutem omnium gentium promovendam*: HEIDEGGERUM *de ratione ſtudii Theologici*, JOANNES MABILLONIUS *de ſtudiis monaſticis*: PETRUS ANNATUS *ad Theologiam poſitivam apparatu*: LUDOVICUS ELIAS DUPINUS *Methodo ſtudii Theologici recte inſtituendi*: AUGUSTUS HERMANNUS FRANCKIUS *Methodo ſtudii Theologici*: JOACHIMUS LANGIUS *opere ejusdem tituli*: JOANNES FRANCISCUS BUDDÆUS *Iſagoge Hiſtorico-Theologica ad Theologiam univerſam, ſingulasque ejus partes*: MARTINUS GERBERTUS *Apparatu ad eruditionem Theologicam* præclare quamplurima monuerunt. Sed fieri nequit, ut iſti, qui ſunt notiſſimi, aliique agmine longo ſe omnibus probent. Ut enim nil dicam, nunc eſſe quotidie faciem novam Eccleſiæ, conditio cujusque candidati identidem hinc reſpici debet. Nam alii quidem, ſi non ſunt ſtupidi (ſtupidos enim nec princeps ad ſacra ſtudia, nec Epiſcopus ad *ſacros Ordines* poſſit admittere) vulgari ſunt ingenio, et quale multis contingit. Alii facile arripiunt univerſa; ſed in morem raſæ tabulæ nullam imaginem eruditionis informatam animo habent. Alii valent memoria; ut quidquid legerint retineant.

Ratio nobis propria.

neant. Aliis contra accidit; ut debeant ob recordationem enotare quæ legunt, ac recolere. Rursum alii vacant, alii negotiis sunt impliciti ac laboribus saluberrimis distinentur. Alii sunt ardentes, quibus fræno sit opus, non calcaribus; alii urgeri debent, quia laborem non ferunt per ingenii volubilitatem. Alii rudem habent Historiæ imaginem; alii percipuas res, ac personas in antecessum noverunt, etiam profanas. Alii abundant libris: alii carent. Alii habent, quos consulant, viros doctos; alii in hac parte destituti sunt plane, sibique soli relinquuntur, Ut vero de his dixi, liceret de ceteris dicere; quando conditiones non tot quin plures sunt; quarum quisque videt haberi haud posse eandem rationem, sed homines tam diversos viis diversis oportere duci; quando, quod hunc juvaret vehementer, impedimento esset alteri futurum.

Hæc ego reputans cum animo meo, quia video irruere multos in antiquitatem; et in hac vagari magis quam procedere, constitui munire novam viam, quæ quidem uni magis, alteri minus, tamen omnibus possit convenire. Nempe edoctus malo meo, in id maxime incumbo, ut eorum, qui possit aliquando et ornamento Ecclesiis, et præsidio esse, tam valetudini, quam otio parcatur; reliqui numero majore, quam sit factum, saltem ad id doctrinæ veniant, quod ratio vitæ suscepta exposcit. Hæc autem via est ejusmodi.

1. Eligi

1. Elige tibi Historicum Ecclesiasticum ex his, quos dixi. Et quidem pro primis quatuor sæculis mallem FLORIUM. Quod si istum non habes, GODOVIUM, DUMESNILIUM, vel; qui mihi valde arridet, BERALTUM.

2. Quo facto, quod velis illi assuescere, attentam sæculi, quod habes ob oculos, lectionem præmitte.

3. Tum fontes ipsos adibis, ordine temporis habito, quo quisque auctorum scripsit. Nam sæpe posteriora alludunt ad ea, quæ præcessere, et sic sequeris naturam ipsarum rerum, evolventium se paulatim, ac explicantium *.

4. Ne vero putes, velle me rationem CLAUDII SALMASII ut teneas; de quo Joannes Baptista Lantinus *Præfatione ad Homonyma Salmasiana hyleo jactricæ*: Quidquid superesset de veterum libris, ceterisque monumentis, diviso in certa spatia omni ævo, ætatum et temporum ordine pervolvisse, initio ab antiquioribus ducto; ita ut omnes unius ætatis scriptores perlegeret, conferretque: donec illius sæculi linguam, mores, ritus, et quidquid ex iis, quæ restant, monumentis colligi potest, in numerato, et sub uno aspectu posita haberet. Inde ad consequentia tempora ad usque ultima simili ratione progredi solitum, et observare, quidcunque novi in linguis, artibus, ceterisque prædictis

* Porro ordinem temporis, quo scripti sunt libri, vides in ipso Historico hos citante: vel certe in optima editione; quæ illos, quoties licet, ita disponit.

dictis succedens ætas invexerat: quidquid a prioribus posteriores scriptores accepissent, id assecutum esse, nihil ut illum fugeret, quod ad Historiam omnis generis spectare posset. Nam, ut fatear ingenue, hoc non admittam, nisi in sæculis, quæ tulerunt paucos scriptores. Alterum experientia teste fieri ab homine uno non potest. Sed neque a Salmasio est factum. Ad quod opus erat, ut non solum legeret centenos, sed eorum omnia intelligeret, ac ante omnibus disciplinis, sive Philosophorum, sive Mathematicorum, sive Medicorum, ac Jurisconsultorum, imbutus esset. Quod si secutus est hanc rationem, non præstitit id curate; quod apparet in pluribus capitibus harum disciplinarum, quas obiter salutavit. Nam id ipsi exprobatum est ab his, qui cognitas, et familiares habebant a pluribus annis, eum locos pro se allegare, quarum mentem minime percepisset. Fuerit ille monstrum eruditionis, non ideo imitandus est nobis, sed admirandus. Quamquam narratio Lantini non est, ut credi possit: neque ideo solum, quia paradoxa tolluntur in majus, sed quia superat omnem fidem, esse cui tantum otii, tantumque virium, ut lectioni innumerabilium librorum, quorum est summa varietas, aliter quam equis velisque, certe obiter, insistat. Quod mihi manifestum fit, quam primum ad calculos revoco rem tantam, ejusque rationes subduco. Exempli gratia *ab anno Christi* 378. *ad* 431. (quo spatio valde decrevit numerus profanorum aucto-

auctorum) habemus nonnisi *sexaginta duos* homines, qui libros scripserunt; ut fere singulis annis respondeant singuli. Sunt enim ex Christianis *triginta novem;* ex ceteris *viginti tres.* Nihilominus qui velit eorum omnia legere ad pernoscendam ætatis conditionem, diebus noctes jungat necesse est.

Nam si eligo ex his tantum undecim; EPHRÆMUM, BASILIUM, NAZIANZENUM, NYSSENUM, LIBANIUM, AMBROSIUM, EPIPHANIUM, CHRYSOSTOMUM, RUFINUM, HIERONYMUM, AUGUSTINUM, habeo quadraginta volumina formæ maximæ; quæ intra tres annos nemo evolverit cum cura et attentione.

Novi doctissimum virum, eumque perpetuæ lectionis; de quo ferebant, nescio an ore ipsius exceptum, *esse lecta ab eo triginta millia librorum.* Id cum audisset præfectus militaris inter copias Borussicas, qui ad eum inviserat, mirari se magis dixit hominis valetudinem, quam doctrinam: qui per annos triginta septem præter cognitionem linguarum, perscripta opera, occupationes ceteras potuisset quovis die duos libros absolvere, nullo cerebri, nullo oculorum, nullo stomachi, nullo alterius organi vitio; quæ tamen viderentur omnia labori nusquam intermisso succumbere, ac facere vitium debuisse. Hæc et hujus generis alia certissime ad MENKENIUM spectant, qui de *Charletaneria eruditorum*; vel PALÆPHATUM, qui *de incredibilibus Historiis* scripsit. Narrari autem debent

debent hominibus, qui quod audierint verum habent: resque miras, quas uſu non noverunt, ſtupent una et credunt. Sed in viam redeamus.

Ergo methodus Salmaſiana poterit locum habere his ætatibus, quibus pauca ſunt litteris mandata, et initio Chriſtianæ rei, cum ortæ non erant controverſiæ Arianæ. Quamquam profana, tunc ſcripta, vix quidquam ad nos; nam locos, qui tangunt rem Chriſtianam habes apud PETRUM DANIELEM HUETIUM, TOBIAM ECKHARDUM, DOMINICUM DE COLONIA, NATHANAELEM LARDNER, JOANNEM CHRISTOPHORUM KÖCHERUM etc.

Porro argumenta, Evangelio oppoſita, haud opus apud profanos colligere; quia a noſtris, puta TERTULLIANO, ORIGENE, MINUTIO, CYPRIANO, ARNOBIO, LACTANTIO, AUGUSTINO, OROSIO, CYRILLO ALEXANDRINO, ceteris, repetuntur omnia, atque ſolvuntur.

In ſæculis ſequentibus iſta ſervabis, cum ordinis gratia, tum temporis compendio.

Delectus, et Ordo, in quovis genere ſcriptorum.

I. Cum omnia, quæ poſſis legere in veteribus, vel *Hiſtorica* ſint; vel *Exegetica*; vel *Polemica* adverſum Gentiles ac adverſum Hæreticos; vel demum *Moralia* et *Diſciplinaria*, in has claſſes quamcunque lectionem diſtribues, ſerie nusquam mutata, niſi apud ſcriptores, quorum pauca habemus.

II. Omittes omnia *ſuppoſititia*, niſi habent præcipua quædam, aut magis laudata.

III.

III. Omittes omnia *Exegetica*; nec enim ſpectant ad hoc forum agnoſcendi Eccleſiæ vetuſtatem. Sunt iſta interpretum, et qui Scripturæ dant operam. Equidem et hic quædam opportuna offendas; ſed tanti non eſt propter locos quosdam emetiri ſilvam infinitam

IV. Omittes omnia, quæ repetuntur, ſuntque excepta a prioribus. Hoc autem contingit ſæpiſſime, quod tacente me ipſus reperies inter legendum.

V. Omitte, quæ ſpectant monſtroſas opinationes primorum Hæreticorum Uſum jam nullum habent, et quando pugnant cum certiſſimis principiis, citius a Metaphyſica, et Theologia naturali proteruntur, quam intricata, obſcuraque lectione deſuetarum notionum.

IV. Inter ea, quæ mores habent, minime opus diu hærere in manifeſtis, quæ ipſi Gentiles de juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, educatione liberorum, pravis uſibus, amore patriæ, obſervantia magiſtratuum, ſervanda fide, amicitia, benignitate, miſeratione pauperum etc. præceperunt.

VII. In libris, qui ſectas, ac opiniones gentilium Philoſophorum excutiunt, ſatis eſt tenere ſummam rei: neque perſequi omnes minutias ſive rerum, ſive vocum, quæ his domeſticæ, et familiares fuerunt. Tanto plus curæ ponendum, ut principia ſcias, quibus ſuum quisque ædificium velut fundamentis ſuperſtruxit:

quæque hæresibus quibusdam in Ecclesia occasionem dederunt.

VIII. In Historiis dimittenda sunt omnia, quæ sive ex profanis, sive suis præcedentibus hauserunt; præsertim si sint parum firma, et apocryphis nitantur.

IX. Præcipue vero hoc teneas de Historia sacrarum litterarum, quæ recurrit identidem apud Ecclesiæ scriptores, nec raro fusius solet exornari.

X. In vitis Sanctorum post sex, vel septem priora sæcula habendus est magnus delectus tam apud Græcos quam Latinos. Et quidem quæ ab aliis veniunt, quam æqualibus, auctoritatem nullam habent. Sed etiam illæ, quarum stilus ad oratorium, vel poëticum accedit, dignitatis et fidei plurimum amittunt apud idoneos judices. Quo magis decet habere rationem illarum, quæ scriptæ sunt graviter, et quædam capita Traditionis sacræ possunt illustrare.

XI. Chronica legi non debent, nisi ab illa ætate, qua sua, sive propiora commemorant. Nam quæ priorum sunt temporum, sumpserunt ab aliis, neque possunt horum cautionem præstare. Ipsa Chronologia hic vacillat vehementer; et si testatior foret, non est nostri instituti *. Quorum est descriptioni temporum studere, habent alios auctores, quos certius in postulatis illi suis sequantur.

XII.

* Sola enim, Chronologia *litteraria* Criticen regit.

XII. In *Moralibus*, ac maxime Sermonibus ad populum licet innumera missa facere Nam eadem repetuntur passim; neque agitur nunc de *communibus Locis*, quos dicunt, verum conditione ætatis ejus, rebusque nostris sive lapsis, sive restitutis. Quod licet mox rescire; quia argumenta ex titulis noscuntur. CHRYSOSTOMUS iis, quæ dicit de avaritia, et pauperibus juvandis, volumen formæ maximæ possit implere. Majoris sunt momenti pro cognitione vetustatis, quæ *de Statuis*, *de Eutropio*, *Saturnino et Aureliano*, *Diodoro Tarsensi*, *Circensibus ludis*, ceterisque habet illorum temporum propriis. *Sermo* S. AUGUSTINI *de ludo Cæsareensi, et tres de Conviviis in templis Martyrum* * plus docent de priscis moribus, quam decem alii, quorum contrita ac vulgaris est materia de vitio, vel virtute generatim. *In Orationibus* BASILII SELEUCIENSIS *vicesima septima* dehortatur a ludis Olympicis; *tricesima octava* Judæis ostendit, venisse Messiam: idque excellenti ratione, ex *hebdomadibus Danielis* **. Sunt ergo potissimum terendi sermones, qui quoddam caput religionis, et historiæ tangunt: sive in ritibus, disciplina, factisque singularibus versantur.

XIII. Sed video tanto plures a *Conciliis* abstineri. *Ac maxime in Conciliis.* Causantur enim improbitatem laboris, et cogni-

* Quorum tamen sola summa vel argumentum extat *in Epistolis*, *libroque IV. de doctrina christiana.*

** Hanc quidam negant BASILII esse.

tionem implexam. Si ex æquo judicandum eſt, hæc partem magnam faciant Eccleſiaſticæ antiquitatis. Non ideo tamen Eccleſiarum ſcrinia rimanda, non vaſtæ *Collectiones* in numerato habendæ, non *Acta* omnis ætatis, quæ huc pertineant, excutienda ſunt. Ne ordine quidem eſt opus, quem illa jam habent aſſignatum; verum ſolo delectu. Hoc facto ſe plurima offerent, quæ ſint præſidio, ſociamque operam jungant. Videbimus id in loco; nunc enim plusquam ſatis eſt deſcribere viam, quæ illo ferat. Quatuor ſunt genera Conciliorum, *Diœceſana*, *Metropolitica*, *Patriarchalia*, *Oecumenica*.

Dioecesana ſinguli Antiſtites intra fines Epiſcopatus ſui cum Theologis, paſtoribus, præpoſitis celebrant. Horum præſes cum ſit ipſe Epiſcopus, qui poteſt ſolus ferre leges, vis decretorum non excedit limites ditionis ejus.

Metropolitica Epiſcopi totius provinciæ præſidente, ac dirigente Metropolita habent. Iſtorum poteſtas latius patet: neque aliis, quam illorum omnium finibus continetur; quando quilibet ex conſcriptis Patribus hic judicem agit: et apud ſuos in uſum deducit, quæ numerus ſuffragiorum major ſancivit.

Patriarchalia coguntur ab uno ex Patriarchis majoribus *Romano*, *Alexandrino*, *Antiocheno*, *Conſtantinopolitano*, *Hieroſolymitano*; et conſtant omnibus Epiſcopis ac Metropolitis, ex vetere inſtituto illi

illi ſubjectis. Hæc cum ultimis ſæculis ſint valde rara, olim fere toties habebantur, quoties Epiſcopi negotiorum cauſa urbem regiam adibant; quia Patriarcha per opportunitatem gerendæ rei conſuluit eos de variis capitibus: et ſuper hæc leges cum illis condidit. Tales Synodos quamplurimas *Conſtantinopolis* exhibet: eorumque apud *ſcriptores Byzantinos* mentio frequens inter legendum occurrit.

Oecumenica ſunt, cum vocante Pontifice ſummo; Imperatore vero, ceterisque principibus conſciis, ac promoventibus ex omni Romano orbe conveniunt antiſtites; ut ſic juncta opera, ſtudioque communi de gravibus negotiis decernant. Atque hæc habent ſummam poteſtatem; quia referunt Eccleſiam univerſam

Genera Conciliorum priora licet facile expedire; modo quis ſciat cujusque locum, tempus, cauſam, præcipuum eventum *. Appendices, eum feret occaſio, hi facile reperient, qui ſe ſtudio diſciplinæ ſacræ addixerunt. Duces enim libros habent, his colligendis, illuſtrandisque unice ſervientes. Quare præcipua cura conſumitur, ut Oecumenicorum, ac etiam

Ancyrani, Neocæsariensis,
Gangrensis, Antiocheni,
Laodiceni, Sardicensis,

* Collectiones illas, quæ ſpuria multa admixta habent, per ſe patet, legi minime debere. Quare *Iſidori*, *Reginonis*, *Burchardi*, *Ivonis* ſubjecto in Indice, quod Canones ſpectat, ne memini quidem.

ac variorum *Africanorum*, fere ejusdem ætatis perfectos Canones habeamus. Nempe istorum magna auctoritas semper fuit; non quidem, quod hanc ex se poscerent; verum a summo Pastore, vel Concilio alio ex superioribus, rata habita, corporique Canonum inserta fuissent. Maxime autem huc facit illa ratio, quam editio *Labbeo-Cossartiana*, vel *Harduiniana* sequuntur. Curatissimæ sunt enim, nihilque omittunt eorum, quæ possint ad Historiæ vel Decretorum notitiam pertinere. Vide *Institutiones Juris Ecclesiastici*, quas ESPENIUS in hac parte optimas emisit; si enim ad manus fuerint, sæpenumero Collectione ipsa facile carebitur.

Non ergo opus, ut tam multa noris de

Causis, *Judiciis*,
Appellationibus, *Interdictis*,
Excommunicationibus, *Bonis*, *et Beneficiis*,
Patronatibus, *et Collaturis*,

ceterisque forensibus; quæ sunt omnia sequiorum temporum, et ne quidem ad Ecclesiam valde pertinent; etsi a multis pro præcipuo munere Episcoporum habentur. Nam hinc maxime fit, quod Canones veterum, ipsosque *Tridentinos* fere nusquam nisi in chartis perstare videmus; cum tamen illorum vis summa esse ac perpetua deberet; quando sanctitate ista leges ipsæ civiles haud secus emendantur, ac Ethica naturalis a doctrina morum christiana corrigitur; ne pro virtutibus vitia, ut toties fit, quibusdam incautis obtrudant.

Clau-

Clausula.

Atque ex dictis manifestum est, œconomia hac in legendo et confusionis plurimum tolli, et *de summa* tot librorum *duas tertias deduci;* quod est ingens compendium, atque allicere ad legendum plures debet, quam moles indiggesta hinc avocabat. Sed isto non contentus (quod mihi permagno stetit) ordine sæculorum indicabo, quid ex quolibet Ecclesiæ scriptore volvi debeat, quid præteriri.

Caput V.

Cognitio auctorum, quibus ordine legendis Ars critica facem præfert.

Non indicem nominum hic habes; neque numerum Patrum, aliorumve scriptorum veterum inimus; minus Canones, ac titulos disciplinæ sacræ secundum series suas collocamus. Istuc nullo negotio licebat ex aliis exscribere. Majus quid molitus sum, et vetustatis studiosos recta huc duco, ubi missis ambagibus citra laborem inquirendi mox aggredi possint ad ipsam lectionem, aliumque ex alio auctorem in manus sumere. Sic autem ordinatæ sunt classes, ut opera eadem a spurio sincerum discernerem: quædam auctoribus vindicarem, atque ipsa *Fragmenta*, quæ pretium habent, minime negligerem. Quo item ratio temporis et finis est habita; quam olim si essem ipse secutus, non unum, sed plures an- *Series sæculorum Auctorum.*

 nos,

nos, quorum jacturam feci, in lucro nunc ponerem. Nempe hoc ferunt res nostræ; *errando discimus*, ac docemus; ut quasi ludo providentiæ unius damnum alterius compendium sit. Sed quid dico ulterius? Quando plurimi, qui ad hunc ductum se conferent, et suis, et aliorum usibus errorem aptabunt. Quæ laboris egregia est merces: mihique jucundior, quam si ipse, via certa, ac brevissima progressus, satis habuissem tam facile partis solus frui. Quod faciunt multi me haud paulo doctiores; qui unam rationem sui habentes de ceteris parum curant: neque reputant tot utilitates, quas illi capere ex cunctis a se præceptis maximas possent. Quanto satius, ut pateant cuivis reperti fontes: et quotquot sitiunt, inde hauriant pro arbitratu? Mihi, cui res publica cordi est (et cui non decet esse hoc tempore calamitoso?) alienis ut meis lætor; ac afficior tanto magis, quod et hic quidam grates habebunt longe absenti; tum ibi, quo omnes spectamus, a bonorum Largitore, cui nil præstatur gratuito: quique minima obsequia uberrime rependit, fructum operæ amplissimum sum consecuturus. Porro præmonitos volo quoscunque lectores, ne scriptorum serie tanta terreri, minus absterreri se sinant a pulcherrime coeptis. Equidem onus est, quod impono; verum ejusmodi, quod mentione ipsa singulari multum amittat ponderis sui. Non se putent succumbere debere, hoc levamine adjuncto. Iter difficile ingressuros deesse sibi nusquam

decet

decet ſpe lucri; quanto minus, cum paſſus ſinguli deſignantur: atque omnia, quæ poſſint præſidio eſſe, una traduntur? Methodus apta, et facilis valde juvat ſcientiam quamvis parandam. Quamquam, ut fatear; in hac non ſunt poſita univerſa. Labor legendi manet. Levatur enim, non tollitur. Nam et experti viarum in tabulis deſcribunt, qua ſit illi pergendum, qui velit verbi gratia ruinas Græciæ veteris, vel Ægypti videre; verum moleſtiam ſive itineris, ſive luſtrationis non demunt; quando hanc ferre ipſius eſt viatoris: neque alteri committere licet, quod cuique per ſe ſit exequendum.

Delectus et Ordo quo veterum ſcripta legi debent quovis ſæculo.

SÆCULO I. ET II.

Lege S. BARNABAE *Epiſtolam* Suppoſititiam quidem, ſed primæ ætatis. *Claſſis prima Patrum Apoſtolicorum.*

HERMAE *librum*, cujuscunque ſit.

S. CLEMENTIS ROMANI priorem et poſteriorem *Epiſtolam ad Corinthios.*

S. IGNATII *Epiſtolas VII.* germanas, cum *Actis Martyrii.*

S. POLYCARPI *Epiſtolam ad Philippenſes* cum *Fragmentis, et Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio ejus.*

S. JUSTINI *Apologiam utramque.*

Parænesin ad Græcos.

S. JUSTINI *Elenchum*, seu Orationem ad eosdem.
Epistolam illi tributam, forte antiquiorem, et pretiosam, *ad Diognetum.*

ATHENAGORAE *Apologiam pro Christianis.*
de Resurrectione mortuorum.

TATIANI Assyrii *Orationem ad Græcos.*

THEOPHYLI ANTIOCHENI *contra christianæ religionis calumniatores ad Autolycum.*

HERMIAE *Irrisionem gentilium Philosophorum.*

S. IRENAEI *libros adversus hæreses.*

S. MELITONIS *Fragmenta.*

SÆCULO III.

Classis secunda Patrum, antiquiorum, qui fuerunt usque ad Cæsares Christianos.

CLEMENTIS ALEXANDRINI *Orationem exhortatoriam ad Gentes.*
Pædagogi libros II.
Opusculum: *Quis dives salvus.* *

TERTULLIANI *Apologeticum.* **
ad Scapulam libellum.
de Testimonio Animæ.
de Præscriptionibus adversus Hæreticos
de Resurrectione carnis Libros adversus Marcionem.
Vellem tamen his præmitti faciliora ejus; puta:

de Oratione.	*de Pœnitentia.*
de Spectaculis.	*de Habitu muliebri.*

TER-

* *Stromata* sunt pro iis, qui valde sunt versati in veterum Philosophia. Accedit, quod auctor de industria obscure scripsit; et nullo ordine

** *Libri duo ad Nationes mutili*, argumentum idem habent; sæpe et verba eadem.

TERTULLIANI *de cultu fœminarum.*

de velandis virginibus.

ad Martyres. *de Patientia.*

Sic enim fiet, ut paulatim ejus ſtilo quis aſſueſcat, ſane difficili.

Porro, quæ ſcripſit, Montano jam junctus, non ſunt omittenda; nempe

de Exhortatione Caſtitatis.

de Monogamia.

de Fuga in Perſecutione.

de Jejuniis adverſus Pſychicos.

de Pudicitia.

Cætera omittere licet absque piaculo; nec enim magnum uſum nunc habent, et ſunt valde implexa.

MINUTII FELICIS *Octavium.*

S. HIPPOLITI *Chronicon.*

Fragmenta, germana.

De Epiſtola JULII AFRICANI, quam ordo nunc exhibet, dicemus apud Origenem.

NOVATIANI *Librum de Trinitate.*

de Cibis Judaicis.

Epiſtolam inter Cyprianicas triceſimam primam; *

Niſi differre eo placet; quod eſt commodius.

Habentur autem hæc omnia poſt libros Tertulliani, *in Appendice.*

ORIGENIS *Libros VIII. contra Celſum*, ſane optimos.

Dialogum contra Marcionitas.

ORI-

* Hæc enim numero a *Pamelio*, et *Baluzio* locatur.

ORIGENIS *Philocaliam.*

de Precatione librum.

Exhortationem ad Martyrium.

Epistolam ad Julium Africanum pro historia Susannæ. Juliana autem, quæ hanc historiam impugnat, præmitti debet.

Cetera licet præterire: et præstaret multa ne scripta quidem fuisse. Quæ bona insperfit, satius reperire in loco, apud auctores, qui testem advocant. Nam ideo tot aberrationes, et loca corrupta terere neutiquam vacat. Me non pœnitet, hanc lectionem abrupisse.

SIXTI II. *Pontificis Romani* *, *Enchiridion Sententiarum.*

S. CYPRIANI omnia germana, ac primo *Sermones*, tum *Epistolas*, tum *Libros.*

Epistolæ requirunt plusculum attentionis, ac continent varia ad Historiam, doctrinam, disciplinam spectantia.

S. DIONYSII ALEXANDRINI paucula quæ supersunt.

COMMODIANI *Instructiones adversus Gentium Deos* pro *Christiana disciplina adversus Gentium Deos.*

S. GREGORII NEOCÆSARIENSIS *Panegyricum in Origenem.*

Expositionem Fidei, breviorem, atque ex tribus solam sinceram.

Epistolam Canonicam.

Cetera non sunt illius.

SÆCU-

* Qui nunc vindicatus est a *Sibero*.

SÆCULO IV.

Classis tertia Patrum adusque collapsum imperium Occidentis.

S. VICTORINI PETABIONENSIS *Fragmenta.*

ARNOBII *Libros VII. adversus Gentes.*

S. PAMPHILI Martyris librum residuum ex *quinque pro Origene.*

S. METHODII *librum de Libero arbitrio*, quem Photius corruptum judicat ab Arianis; nec immerito.

S. PETRI ALEXANDRINI residuos *XV. Canones de Pœnitentia.*

LACTANTII *Institutionum divinarum Libros*, et cetera omnia.

Liber de mortibus Persecutorum rectius ad sæculum superius legeretur; quando lucem infert infectationibus Christianorum, illosque tyrannos coloribus clarissimis depingit.*

Ex supposititiis *Carmen de Passione Domini* dignum est lectu.

Hæc omnia pertingunt *ad annum* 340 et spatio trium mensium commode leguntur. Nunc amplior aperitur, campus; residuum Sæculi IV. quo cœperunt controversiæ Arianæ. Quare habenda cura, ne alia legamus, quorum minor est necessitas. Ordo ipse mutandus, ut supra admonui: et apud Patres fusiores seorsim volvenda

I. *Hi-*

* Quamquam de Imperatoribus multa dabit Historicus Ecclesiasticus, quem dixi ducem esse deligendum.

1. *Historica.*
2. *Polemica* adverſum Gentiles:
3. *Polemica* contra Hæreticos:
4. Quæ *Mores* habent;
5. Quæ *Diſciplinam* ſpectant. *Biblica* enim, ne ſemper repetam, non ſunt noſtri inſtituti. Occurrunt ante ceteros

ALEXANDRI ALEXANDRINI *Epiſtolæ tres ſuperſtites, eæque diſperſæ*, ſed ingentis pretii.

EUSEBII CAESARIENSIS *Præparatio Evangelica.*
Demonſtratio Evangelica.
Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Vita Conſtantini magni, cum *Oratione in ejus laudem*; in quibus tempori quid dedit, morique Rhetorum. Vitiis enim non caruit Conſtantinus; quantumvis virtutibus ſuperavit. Sequuntur
Libri quinque adverſus Marcellum Ancyranum; quorum duo poſteriores, *de Eccleſiaſtica Theologia* inſcribuntur.
de Fide adverſus Sabellium.
de incorporali et inviſibili Deo.
de Incorporali.
de incorporali anima.
de Spirituali cogitatu hominis.
Quod Deus Pater incorporalis ſit.
de eodem.
de Reſurrectione, et de Aſcenſione Domini.
de eo, quod dicit Dominus: Non veni pacem mittere, ſed gladium.

EUSE-

EUSEBII CAESARIENSIS *de mandato Domini:* Quod dico vobis in aure, prædicate ſuper tecta.
de operibus bonis et malis.

Horum pleraque ex veteri interpretatione P. *Sirmondus* edidit. Nunc veniunt

JULIUS FIRMICUS MATERNUS *Libro de errore profanarum religionum*; ceteri nihil ad nos.

S. JACOBUS NISIBITA *Sermonibus undeviginti.*

S. ANTONIUS *Abbas Epiſtolis ſeptem.*

Cetera ego incerta habeo.

SERAPION *Libro adverſus Manichæos.*

GREGORIUS ELVIRENSIS *Libro de Fide*, qui et *Confeſſio* vocatur, inter opera Nazianzeni.

S. EUSTATHIUS Antiochenus *Alocutione ad Imperatorem Conſtantinum in Concilio Nicæo.*
Diſſertatione de Engaſtrimytho.
Fragmentis apud Fabricium, *Volumine VIII. Bibliothecæ Græcæ pag.* 168.

MARIUS VICTORINUS, cujus omnia, quæ religionem ſpectant, volvenda eſſent, niſi Philoſophiam profanam ſacræ doctrinæ miſcuiſſet. Quare ſatius omittuntur.

S. HILARIUS PICTAVIENSIS, cujus vel Fragmenta legenda. Soli Commentarii in Scripturam hic mittantur.

TITI BOSTRENSIS *tres* reſidui *adverſus Manichæos.*

LUCIFER CALARITANUS *Opuſculis ad Conſtantium Imperatorem.*

S. EUSEBIUS VERCELLENSIS *Epiſtolæ, etiam illa ad Gregorium Baticum* in *Fragmento XII. editionis Hilarii*

Hilarii Pictavienſis. Intelligo autem, quam *Maurini* curarunt. *

S. ATHANASIUS Operibus omnibus germanis, quæ Scripturam non ſpectant. Sed, ut dixi, illo ordine, apud omnes tenendo, qui multa ſcripſerunt.

S. EPHRAEM Syrus operibus omnibus ſinceris, quæ non ſunt Biblica.

S. BASILIUS magnus; apud quem idipſum ſervabis.

S. ZENO Veronenſis *Sermonibus* omnibus ultimæ Editionis Veronenſis.

S. DAMASUS *Hymnis*, *Epiſtolis*, *Decretis.* Sunt autem perquam brevia univerſa.

FAUSTINUS Presbyter *Libro de Trinitate*, ſeu de Fide contra Arianos, cum *libello precum ad Imperatores*, et *Reſcripto Theodoſii* apud Sirmondum. *Apud Bollandum Tom. I. Actorum Sanctorum Januarii pag.* 2. extat neſcio cujus FAUSTINI *Homilia contra varias Superſtitiones Calendis Januariis uſitatas.*

S. OPTATUS MILLEVITANUS *Libris ſeptem de Schismate Donatiſtarum.*

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS utroque opuſculo *Catecheſium.*

S. PHILASTRIUS *Libro de Hæreſibus*, ubi quidem non omnia cohærent cum ſana Theologia.

S. GRE-

---

* Joan. Guilielmus Janus 1720. *Lipſiæ* vulgavit EUSEBII, Alexandrini Epiſcopi luculentum Sermonem *de die Dominico*, quem, quia neſcio ſuum tempus et locum illi tribuere, hic juxta alium *Euſebium* ponendum duxi.

S. Gregorius Nazianzenus operibus omnibus sinceris.

S. Macarius Senior *Homiliis*, ceterisque, lectu dignissimis. An enim sint ejus, an cujusdam alterius viri sancti, non disputo.

S. Pacianus *Epistolis ad Sympronianum.*
Paranesi ad Pœnitentiam.
Libello de Baptismo.

S. Phoebatius *Libro contra Arianos.*

S. Gregorius Nyssenus scriptis omnibus non Biblicis; ne quidem demptis, quæ non sunt certa. Nil enim huic doctori suppositum, quod sit contra dignitatem.

S. Amphilochius pauculis quæ extant, sive hujus sint, sive junioris.

S. Arsenius *Apophtegmatis.*
Doctrina, et adhortatione ad Monachos.

Dydimus Alexandrinus *Libris tribus de Spiritu Sancto.*
Liber adversus Manichæos; qui quidem non videtur, extare integer.

Isaac, *discipuli S. Ephræm Libellus de S. Trinitate, et Incarnatione.*

S. Ambrosius operibus cunctis, quæ ex vero illi tribuuntur, etiam Biblicis. si non habent rationem Commentariorum. Nam multa super Libros sacros scripsit, quæ potius ad mores referuntur.

Asterius Amasenus *Homiliis* omnibus, etiam incertis *apud Cotelerium Tomo II. veterum Monumentorum.* Nec enim indignæ sunt illo.

SÆCULO V.

EVAGRII Monachi *Capita* legantur,

Liber practicus.

Opusculum de octo vitiosis cogitationibus.

Scholion de Tetragrammato.

Quædam ejus S. Nilo, et contra quædam hujus Evagrio adscribuntur; quod quidem nostra nihil interest.

NEMESII *Liber de natura Hominis.*

MARCI Eremitæ *Opuscula.*

S. EPIPHANII *Ancoratus*

Panarium

Anacephalæosis.

Epistola ad Joannem Hierosolymitanum.

Epistola brevis ad Hieronymum.

Apophtegmata septemdecim.

PRUDENTII *Hymni*, et *carmina* omnia.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI germana omnia, quæ non sunt Commentarii. In *Homiliis* vero super libros Scripturæ legatur pars secunda, quæ fere excurrit ad mores.

Porro propter ingentem copiam in suas classes tribue opera; ut toties dixi.

S. CHROMATII paucula, quæ extant.

SEVERIANI *Homiliæ.*

RUFINI *Explicatio Symboli.*

Vitæ Patrum, et *itinera per Ægyptum.*

Cetera non sunt tanti, ut his tempus teramus. Nam etiam cum est dignius argumentum, habemus aliorum alia potiora.

THEO-

THEOPHILI ALEXANDRINI paucula Canonica, ut *tres Epistolæ Paschales*, cum *Prologo ad Theodosium Imperatorem.* Item *Edictum*, et *Commonitorium.* *

S. GAUDENTII *Vita S. Philastrii*, et novendecim *Sermones.*

SULPITII SEVERI omnia.

OROSII *Libri septem Historiarum.*

Liber Apologeticus contra Pelagium de Arbitrii libertate.

Commonitorium, apud Augustinum *contra Priscillianistas.*

S. HIERONYMI omnia, quæ sunt illius; quæque Scripturas non versant.

FASTIDII *Episcopi Britanniarum Liber de Vita christiana. Tomo VI. Augustini.*

S. AUGUSTINI omitti plurima debent; et *primo*, quæ illi tantum tribuuntur. *Secundo* quæ juvenis scripsit ad artes pertinentia *Tertio* sacrorum librorum expositiones. Commodissime sunt distributa opera. Servetur proin ordo editionis ultimæ inter legendum. Index ipse judicio magno confectus, et qui nullo negotio exhibeat quoscunque locos. Præmittenda ejus lectioni *Vita a S.* POSSIDIO scripta.

PALLADII *Historia Lausiaca.*

* Opusculum: *Cujus rei homo similis sit*, non constat ejus esse.

EVODII UZALENSIS *Episcopi Liber de Fide, seu de unitate Trinitatis contra Manichæos Tomo VI. Augustini.*

SYNESII omnia præter *Encomium Calvitii: Ægyptium, de Insomniis, de dono Astrolabii. Hymni,* elegantes, profanam Philosophiam redolent, ut cætera ejus; quod poscit attentum lectorem.

THEODOTI ANCYRANI opuscula.

S. PAULINI NOLANI, quotquot sincera sunt.

S. JOANNIS CASSIANI itidem omnia.

SOCRATIS, et SOZOMENI *Historia Ecclesiastica*; nisi ille familioris Historicus, hos ipse in loco adhibeat. Tunc enim non est opus, ut legantur, nisi in rebus controversis.

S. CYRILLI ALEXANDRINI omnia, demptis Biblicis, quæque falso gerunt illius nomen.

BACHIARII *Epistola de recipiendis Lapsis ad Januarium.*

S. PROCLI Opuscula.

S. HILARII ARELATENSIS etiam.

FLAVIANI *Epistolæ duæ ad Leonem, Romanum Pontificem* *.

S. ISIDORI PELUSIOTAE *Epistolæ.*

MARII MERCATORIS Opera quælibet, nullo discrimine. Quæ præfatus est in Græca a se conversa, valde juvant rem Ecclesiasticam.

S. VINCENTII LIRINENSIS *Commonitorium.*

CLAU-

* Inter Epistolas, quarum ingens est pretium, præterire non debes a Bessello nuper repertas.

CLAUDII MARII VICTORIS *Epistola ad Salomonem Abbatem de perversis ætatis suæ moribus.*

SEDULII Opuscula.

S. DIADOCHI *Definitiones decem de Virtutibus.*

Centum capita de Perfectione spirituali.

S. NILI omnia præter *Expositionem in Cantica Canticorum;* quæ pertinet ad Exgetica, neque hujus est auctoris.

S. EUCHERII *Parænesis ad Valerianum.*

De laude Eremi ad Hilarium.

Sermones, qui nomine *Eusebii Emiseni*, et *Eusebii Gallicani* circumferuntur; nam plerique Eucherium exhibent loquentem.

Historia passionis S. Mauritii, et Sociorum, quam præclare vindicavit Dominus Rivaz. Argumentum, quod petunt adversarii a stilo, vemissimum est; cum Eucherius omnia vel floribus respergat, vel tractibus sententiarum connectat *. Sed ejusmodi *Acta*, ut dicimus, ex tabulis Ecclesiarum, quæ mendosa, vel obscura sunt, sublatis, non solent de integro perscribi, minus ornari. Hoc Græcorum est. Adde quod

Liber formularum spiritualis intelligentiæ, et *Libri duo Instructionum*, qui Eucherium parentem habent, genere sermonis longe differunt a tribus opusculis superioribus.

* Ideo ego in *Dissertatione de Eloquentia* ejus, de hoc libro ne quidem mentionem feci.

THEODORETI omnia præter Commentarios. Leguntur autem poſt Hiſtorica *Epiſtolæ*, tum *Orationes de Providentia*, *Curatio Græcarum affectionum*; tum dogmatica iſto ordine

Epitome divinorum dogmatum

Hæreticarum fabularum libri quatuor

Dialogi tres inter Eraniſtam, et Orthodoxum

Dialogi VII. adverſus Arianos, Macedonianos, et Apollinariſtas.

Quo levabitur labor legendi, reſciſſis quæ dixi, jam non diuturnus, nec ultra viginti dies protrahendus.

S. PETRI CHRYSOLOGI *Epiſtola ad Eutychen*; quæ quidem, ſi quid video ego, brevitate ſua, et gravitate plus decernit de Sede Romana, quam integri Libri recentiorum.

BASILII SELEUCIENSIS *Orationes*, quæ ſunt breves, ac jucundæ. *Libri* autem *de vita, et miraculis S. Theclæ* non ſunt ejus, quia Photio teſte hæc verſibus perſcripſit Baſilius, non proſa.

S. SIMEONIS STYLITAE *Epiſtolæ* aliquot *apud Evagrium, et Nicephorum* Item *Sermo de morte aſſidue cogitanda.*

S. LEONIS magni omnia germana opera. Adde ex his, quæ alterius ſunt, ſed laudem habent

Libros de vocatione omnium gentium

Capitula et auctoritates de gratia, et libero voluntatis arbitrio

S. LEO-

S. LEONIS *Epistolam ad Demetriadem.*

Codicem Canonum Ecclesiasticorum veterem.

Pertinet ad hæc tempora *Anonymus*, auctor PRAEDESTINATI, quem sufficit nosse ex Historico, vel in breviario capitum legisse.

S. PROSPERI *Aquitani* omnia præter *Commentarios in Psalmum quinquagesimum*, et *centesimum quinquagesimum.*

Carmen de Providentia divina, illi suppositum, præclarum est; *Chronicon* autem *Pithæanum*, sive *Imperatorium* indignum, quod legatur.

Liber de Promissionibus, et Prædictionibus Dei. Est auctoris prorsus incerti.

S. MAXIMI TAURINENSIS *Homiliæ* omnes, ut sunt in ultima editione *Muratorii.*

IDACII *Chronicon.* *

CLAUDIANI MAMERTI Opuscula omnia.

ÆNEAE GAZAEI *Theophrastus*, sive de Animæ immortalitate, et corporum Resurrectione elegans opusculum. Ejusdem *Epistolæ*, quæ sunt in *Collectione Epistolarum Græcarum Genevensi* 1606. frustra hactenus a nobis quæsita.

Classis quarta Scriptorum, qui fuerunt ad usque Imperium Occidenti restitutum.

VALERIANI CIMELIENSIS *Homiliæ.*

Epistola ad Monachos parænetica.

* Ut semel dicam, cum *Chronica* legi volo, intelligo partem eorum posteriorem; sive tempora, quibus auctor propior fuit. Priora (nam fere cum mundo oriuntur) exscripta sunt ab aliis: ac utinam non illis, qui præstare fidem ipsi non possunt, remotissimi a rebus ac personis, ultra memoriam positis!

S. FAUSTI REJENSIS opuscula omnia. Nam ego auctorem prorsus orthodoxum habeo. Vide quæ in viri reverentiam præclare scribit Sirmondus *cap.* 8. *Historiæ Prædestinatianæ*: *et* Stiltinghus *in Actis Sanctorum ad* 28. *Septembris.*

SALVIANI omnia.

VICTORIS VITENSIS *Historia Persecutionis Wandalicæ, cum Appendicibus.*

S. SIDONII APOLLINARIS omnia.

S. PACIANI PATRICII *Confessio*, et *Epistola ad Coroticum.*

Aliquot *Canones.*

GENNADII MASSILIENSIS *libellus de Viris illustribus.*

MALCHI *Fragmenta duo historica*, amplissima, magnique pretii.

GELASII Romani *Epistolæ*, et alia sincera.

SÆCULO VI.

PASCHASII DIACONI *Libri duo de Spiritu sancto* *.

RURICII *Epistolæ*; testes probitatis, sed usus non magni.

EUGIPPII *Vita S. Severini.*

JOANNIS MAXENTII procacia opuscula, sed quæ historiam illustrent ejus ætatis. Quamquam hæc habetur in quovis curato Historico, quem ducem elegeris.

VIGI-

* Hos laudat *Gregorius magnus Libro IV. cap.* 40. *Dialogorum*; *Baronius* autem *ad annum* 496. ejusdem *Epistolam ad Eugippium* æqualem affert, quæ etiam apud Surium exstat *VIII. Januarii.*

VIGILII TAPSENSIS, non *Tridentini*, opuscula mittere potest, qui legit Athanasium.

S. ENNODII opuscula quævis.

S. ALCIMI AVITI *Epistolæ.*

Homiliæ duæ de Rogationibus.

De Consolatoria laude Castitatis ad Fuscinam sororem.

Fragmenta.

SEVERINI BOËTHII *de Consolatione Philosophiæ.*

Libri IV. de Trinitate.

Fidei Confessio; quæ omnia seorsim dat, omissis Philosophicis, editio *Leidensis* præclara *cum notis Variorum* 8. 1671.

THEODORI LECTORIS, sive potius ex Ecclesiastica ejus Historia *Excerptorum Libri duo.* Adjecit quædam *Fragmenta* Henricus Valesius, quæ sunt germana.

AGAPETI DIACONI *Capita Admonitionum.*

S. FULGENTII omnia.

MARCELLINI COMITIS *Chronicon.*

ZACHARIAE MYTILENENSIS *Disputatio de Opificio mundi.*

Syntagma adversus Manichæos.

DIONYSII EXIGUI *Collectio Canonum.*

S. CAESARII ARELATENSIS omnia.

S. BENEDICTI *Regula,*

Sermo in discessu S. Mauri, et Sociorum,

Epistola ad Maurum.

FERRANDI DIACONI Opuscula omnia; sunt autem minime longa.

JORNANDIS *de Getarum, sive Gothorum origine, et rebus gestis.*

de Regnorum, et Temporum successione.

FACUNDI HERMIANENSIS scripta malim legi in Excerptis Historici Ecclesiastici. Imo præcipua habes in solis argumentis pro Defensione trium Capitulorum. Idem dicas de *Dialogo* RUSTICI DIACONI, cujus est simile institutum in odium Catholicorum.

PAULI SILENTIARII Opuscula poëtica.

PROCOPII *Libri VIII. Historiæ.* *

CASSIODORI *Libri VII. variarum Epistolarum.*

De ratione Animæ liber.

Monendum hic, *Chronicon* breve culpa librariorum scatere erroribus.

LIBERATI DIACONI *Breviarium causæ Nestorianorum, et Eutychianorum*, ubi tamen rumoribus multum dedit.

VICTORIS TUNNUNENSIS *Chronicon*, cui addidit Appendicem JOANNES BICLARIENSIS *ab anno Christi* 566. *ad* 590. Et Victor quidem ubique vellicat Orthodoxos, tria Capitula damnantes.

Liber de Pænitentia, cujus codex extat undecim sæculorum, qui VICTORIS CARTHENENSIS nomen præfert.

LEONTII BYZANTINI quæ supersunt omnia.

GIL-

* Notandum hoc loco, ad Historiam Imperatorum Græcorum noscendam prostare *Corpus Historiæ Byzantinae*, ex plurimis scriptoribus. Atque id passim consulere licet in omnibus dubiis.

GILDAE *opusculum de Excidio Britanniae.*

S. MARTINI BRACARENSIS Opuscula. *

EUSTRATII *Vita S. Eutychii.*

De vita functorum statu, apud Leonem Allatium *de Consensione utriusque Ecclesiae in dogmate de Purgatorio.*

AGATHIAE SCHOLASTICI *de Imperio, et rebus gestis Justiniani Imperatoris Libri V. Reliquiae Epigrammatum.*

EVAGRII SCHOLASTICI *Historiae Ecclesiasticae Libri V. a tempore, quo Socrates et Sozomenus desierant, ad annum* 594.

JOANNIS CONSTANTINOPOLITANI *Patriarchae, libellus Poenitentialis.*

Sermones tres inter opera Chrysostomi.

S. GREGORII TURONENSIS *Libri X. Historiae Ecclesiasticae Francorum*, sane ingentis usus.

Libri VIII. Miraculorum.

Liber de Vitis Patrum.

Liber de septem dormientibus in majori monasterio non est ejus.

S. LEANDRI *Regula.*

Homilia in laudem Ecclesiae.

MARII AVENTICENSIS *Chronicon*, quo illud Prosperi prosequitur ab anno 455. ad 581.

ANASTASII *Senioris* SINAITAE, quae vere sunt illius.

VE-

* In *Libro de Differentiis quatuor Virtutum, sive Formula honestae vitae* multa sunt Publii Syri, versa in usus Christianos.

VENANTII FORTUNATI *tres Epiſtolæ,*
Expoſitio Orationis Dominicæ,
Expoſitio Symboli Apoſtolici,
Aliquot *Vitæ Sanctorum.*

SÆCULO VII.

S. GREGORII magni certa omnia legantur. Et quidem primo loco
Epiſtolæ; tum
Libri Moralium in Jobum,
Homiliæ in Ezechielem.

Sunt enim præcipua operum ejus. Duo poſteriora probe ſcio, eſſe Biblica; verum plus habent morum, quam exegeſis. Accedunt

Homiliæ in Evangelia,
Liber Paſtoralis Curæ.

Libri IV. Dialogorum cum judicio legendi: Ego qui prudentiæ tanti viri tam parum ac virtuti derogem, mecum ſic cogito; collectum ab eo, quidquid ſcripto, et narratione in monaſteriis acceperat. Hæc vero non habent fidem a Collectore; quam nec præſtare is poſſit ſua omni auctoritate. Nititur ergo relatione ſola. Aliter ſentirem, ſi per ſe, vel teſtes idoneos interfuiſſet tam inſolentibus rebus.

S. EULOGII ALEXANDRINI *Fragmenta,* quæ ſola extant, *apud Photium, et Tomo II. Operum S. Maximi pag.* 145.

S. Jo-

S. JOANNIS CLIMACI *Scala Paradifi.*
Liber ad Paftorem religiofum.

JOANNIS MOSCHI *Pratum Spirituale.* Quod habet apud me majorem fidem, quam Dialogi Gregoriani. Non folum quod fit minus exoticum; fed quia recenfet gefta fuo tempore, quæ viderat oculis fuis, vel audierat recenti traditione in iisdem locis, ubi contigerant.

S. COLUMBANI opufcula, quæ mihi videntur fummi momenti. Nam difciplinæ Ecclefiafticæ habent certiffimam imaginem: et *Epiftolis quinque* (non enim funt plures) ab argumento plurimum accedit pretii.

LEONTI CYPRII Opufcula.

JOANNIS BICLARIENSIS *Chronicon* fupra memoravi *apud Victorem Tunnunenfem.*

NENNII, quem alii referunt ad Sæculum IX. *ElogiumBritanniæ*; cujus fola reftant*Fragmenta.*

THEOPHILI SIMOCATTI omnia.

S. ISIDORI HISPALENSIS præter dubia et falfa debent fequentia omitti
de Differentiis, five proprietate verborum
Liber de natura rerum
Liber Procemiorum de libris veteris et novi Teftamenti.
Commentarii in libros hiftoricos veteris Teftamenti.
Allegoriæ in Scripturam.

An nova editio Madritenfis illi quædam addiderit, ego, qui necdum vidi, non habeo compertum.

S. So-

S. Sophronii Hierosolymitani paucula quæ extant. Adde *Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ*, licet alterius ſit, ſed vetuſtioris.

Joannis Philoponi *Commentariorum in Moſaicam mundi creationem Libri VII.* qui habent quid ſingulare: neque nuda ſunt interpretatio in modum aliarum Exegeſium.

Diſputatio de Paſchate.

Adverſus Procli Diadochi pro æternitate mundi argumento.

Duodeviginti Solutiones.

S. Galli *Sermo dictus in conſecratione Joannis Epiſcopi Conſtantienſis.*

Marculfi *Libri II. Formularum Eccleſiaſticarum*; qui ſunt utiliſſimi cultoribus ſacræ diſciplinæ. Ipſa ſtili barbaries imaginem temporum ex toto refert.

Desiderii, *Cadurcenſis Epiſcopi*, multis ignoti, *Epiſtolæ.*

Fredegarii *Chronicon.*

S. Eligii Noviomensis paucula, eaque diſperſa.

Theodori Rhaituensis *Liber de Incarnatione Divina.*

S. Maximi *Confeſſoris* omnia præter *Exegetica, Computum Eccleſiaſticum*, et *Scholia in opera Dionyſii, Areopagitæ dicti*,

S. Ildephonsi germana, quorum quædam noviſſime prodierunt apud ejus populares Hiſpanos,

S. Il-

S. ILDEPHONSI duo opuscula sunt *apud Baluzium Tomo VI. Miscellaneorum*: et aliquot *Epistolae apud Dacherium Tomo I. Spicilegii.*

S. ANASTASII SINAITAE *junioris Dux viae adversus Acephalos.*

Libri XI. Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron.

Libri V. Dogmatici de Theologia.

S. JULIANI TOLETANI *Vita S. Ildephonsi Toletani,*

Historia de Wambae, regis Gothorum, expeditione.

De Christi adventu adversus Judaeos Libri III.

Libri de Vita Contemplativa, et *Prognosticon futuri Saeculi* sunt JULIANI POMOERII, qui saeculo quinto vergente scripsit.

SÆCULO VIII.

ADELMI opuscula, brevissima illa.

S. ANDREAE CRETENSIS, quae sincera sunt, omnia. Nam quaedam movent suspicionem sequioris aetatis.

BEDAE paucissima legantur; nempe

Historica et *Epistolae,*

Liber Poenitentialis germanus, *apud Marteneum* et *Mansium in Collatione Conciliorum.*

De prodigiis in *Historia Ecclesiastica Anglorum* dicas idem, quod de *Gregorii* quibusdam *Dialogis.*

S. GERMANI CONSTANTINOPOLITANI *de VI. Synodis Oecumenicis.*

Epistolae tres de cultu Sacrarum Imaginum.

S. Bo-

S. Bonifacii Opuſcula. Nuperrimam editionem, quæ prodiit, dum hæc ſcribuntur, necdum vidi.

S. Joannis Damasceni ſincera omnia legantur, præter ſcripta *Dialectica* et *Phyſica*, item *de centum hæreſibus compendium*, *ex Epiphanio* ſumptum.

Theodori Abucarae *Opuſcula quadraginta duo.* Volunt quidam juniorem, qui ſchiſmati Photiano implicitus eſſet, ſæculo nono vergente. Quibus hic minime intercedam.

Adriani Papæ Epiſtolæ,
Epitome Canonum,
Capitula octoginta.

Ambrosii Autberti *Vita S. S. Baldonis, Tutonis, Vadonis*
de conflictu virtutum, et vitiorum, qui libellus non eſt magni momenti.

Pauli Warnefridi *Hiſtoriæ Miſcellæ de geſtis Longobardorum Libri VI.*
Vita S. Gregorii et aliorum,
Epiſtolæ,
Carmina, et *Hymni.*

SÆCULO IX.

Claſſis quinta Scriptorum ad usque doctores Scholaſticos.

Georgii Syncelli *Chronographia.*
Paulini Aquilejensis opuſcula.
B. Alcuini omnia germana;

Dogmatica,	*Epiſtolæ,*
Vitæ,	*Poëmata,*

B. Al-

B. ALCUINI *Moralia*, et *Disciplinaria*, quæ vocant. *

SMARAGDI ABBATIS, exceptis *Biblicis*, et *Commentario in Regulam S. Benedicti* ** omnia lege.

S. THEOPHANIS *Continuatio Chronici Syncelli*, *I. Parte*; nam *Tabulæ chronologicæ* nec hilum valent: eique abjudicantur a *Papebrochio:* Sed neque pars prior, quam dixi, quibusdam nævis caret.

THEODULPHI AURELIANENSIS *Capitula ad Presbyteros*, sane memoranda.

de Ordine Baptismi.

Liber de Spiritu Sancto.

Percurrantur quoque *Libri VI. Carminum Elegiacorum.* Itidem huc faciunt addita pauca *a Dacherio*, *Baluzio*, *Mabillonio.*

S. BENEDICTI ANANIENSIS *Codex Regularum*, *cum Appendicibus Lucæ Holstenii.*

S. THEODORI STUDITAE omnia, etiam *Canon in erectione SS. Imaginum*, qui sæculi noni partus habetur.

S. NICEPHORI PATRIARCHAE *Constantinopolitani Breviarium Historicum.*

Opuscula adversus Iconomachos.

Canones, *et Epistola ad hos pertinens.*

LEIDRADI *Opuscula apud Agobardum.*

ANSE-

* Opus hic maxime novissima editione, quam curavit Abbas princeps ad S. Emmerami.

** Quæ huc faciunt, deinceps leguntur in *Commentario Edmundi Martene.* Est enim loco omnium.

Ansegisi *Abbatis*, et Benedicti *Levitæ Caroli magni*, *et Ludovici Pii Capitula*, *five leges Ecclefiafticæ*, *et Civiles.*

Ermoldi *Carmen Elegiacum de rebus geftis Ludovici Pii.*

Amalarii Metensis *Opufcula.*

Eginhardi *Vita Caroli magni.*

Annales regum Francorum.

Epiftolæ 63.

Quæque *de SS. Martyribus Marcellino*, *et Petro* habet.

Agobardi omnia; quæ licet volumen unicum habent minoris formæ, funt plura, et neceffaria.

Jonae Aurelianensis omnia Cui adde in argumento eodem *Dungalum*, æqualem ejus.

S. Udalrici *Epiftola de cœlibatu Cleri ad Nicolaum I.* five fit ejus, five fuppofita.

Thegani Trevirensis *de geftis Ludovici Pii*, cum *Epiftola ad Hattonem.*

Walafridi Strabonis fola *Hiftorica*, et *Ecclefiaftica*; quæ funt perpauca.

Altfridi *Vita S Ludgeri*, *primi Epifcopi Monafterienfis.*

Freculfi *Chronicon.*

Amulonis opufcula certa; five *duæ Epiftolæ*, et *contra Judæos Liber.*

Haymonis fequentia tantum, *de S. Trinitate.*

de corpore et fanguine Domini.

de varietate librorum. *de voluptate mundi.*

Porro,

Porro, ne quis aberret, *Libri X. de Christianarum rerum memoria* nonnisi Breviarium Rufini exhibent.

B. Rabani Mauri *Pœnitentium Liber*

Epistolæ ad Humbertum Episcopum, et Bonosum de nuptiis consanguineorum,

Liber de Sacris Ordinibus, Sacramentis divinis, et vestimentis Sacerdotalibus.

Libri III. de Disciplina Ecclesiastica.

Libri III. de Clericorum institutione, et Ceremoniis Ecclesiasticis.

Libri III. ad Bonosum Abbatem.

Homilias et *Poëmata* satis est percurrisse.

Ex post repertis *Epistolæ tres de Prædestinatione.*

de septem signis Nativitatis Domini.

de Vitiis, et virtutibus.

de Passione Domini.

Epistola ad Heribaldum,

Epistola ad Reginaldum,

Opuscula duo, unum *de Chorepiscopis*, alterum *de Reverentia filiorum* erga parentes.

Opusculum *de Chorepiscoporum Ordinationibus.*

Libellus de oblatione puerorum.

Alia *Poëmata*, itidem noscenda.

In *Thesauro Martenei, et Durandi Tomo V.* extat *Liber de variis Quæstionibus adversus Judæos seu ceteros infideles Judaizantes;* qui non est idem cum suppositio

apud Chifletium; et vocatur *Liber contra Judæos.* Amulonis enim ille habetur. Reliqua omnia omittuntur.

NITHARDI *de Diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii.*

S. EULOGII CORDUBENSIS omnia opuſcula.

FLORI *magiſtri Collectio de Electionibus, et officio Epiſcoporum.*

de Canone Miſſæ.

Liber de Prædeſtinatione contra Joannem Erigenam: quem adimunt illi quidam.

Sermo ejusdem argumenti.

Carmina ſaltem noſcenda ſunt.

S. PRUDENTII TRICASSINI *Dogmatica* opuſcula, cum *Epiſtola* protracta *a Mabillonio Tomo IV. Analectorum.*

LUPI SERVATI *Epiſtolæ*, quæ habentur in pretio.

de tribus Quæſtionibus.

Vita Wigberti.

PAULI ALVARI *Vita S. Eulogii.*

Epiſtolæ.

Indiculus Luminoſus.

Confeſſio.

S. PASCHASII RATBERTI aliquot *Vitæ Sanctorum.*

de Partu Virginis Libri duo, olim S. Ildephonſo tributi.

de Corpore et Sanguine Domini.

Epiſtola ad Fredegarium de eodem argumento.

de Fide, Spe et Charitate.

Cetera non leguntur.

RATTRAM-

RATRAMNI CORBEIENSIS *contra Græcorum errores Libri IV.*

Liber de Prædestinatione.

Liber de Partu Virginis.

Liber de corpore et sanguine Domini, de quo multum contentionis inter Catholicos, et asseclas Calvini.

PETRI SICULI *Historia.*

ISONIS SANGALLENSIS omnia.

AGNELLI, sive Andreæ Presbyteri *Liber Pontificalis, seu Vitæ Pontificum Ravennatum.*

Chronicon, sive sit ejus, sive alterius.

REMIGII LUGDUNENSIS omnia, licet dubia. Nam pertinent ad Historiam Prædestinatianam.

ADONIS *Breviarium Chronologicum*; sed duarum ætatum ultimarum *usque ad annum* 874 Cetera imperiti, et ignoti sunt hominis. Verum et ipse Ado in suis non est curatus.

Vita S. Desiderii. *Vita S. Theodori.*

HINCMARI omnia; sunt enim magno usui ad illa tempora pernoscenda.

BASILII *Imperatoris Liber regius ad Leonem filium.*

ANASTASII BIBLIOTHECARII *Vitæ Pontificum*, quarum ultimas solum ipse scripsit.

Collectanea de Monothelitis.

HEREMPERTI *Historia Longobardorum Beneventi.*

PHOTII omnia.

REMIGII ANTISIODORENSIS *Expositio de celebratione Missæ.*

AELFREDI regis Periplus.

SÆCULO X.

JOANNIS CAMENIATAE *narratio de excidio Thessalonicæ.*

LEONIS *Imperatoris* quæ pertinent ad *Dogmata, Mores, Hierarchiam.* Cetera mittamus.

NOTKERI BALBULI omnia.

REGINONIS PRUMIENSIS *Chronicon cum prosecutione.*

EUTYCHII ALEXANDRINI *Annales.*

LEONIS GRAMMATICI *Vitæ recentiorum Imperatorum.*

GENESII *de rebus Constantinopolitanis.*

S. ODONIS CLUNIACENSIS opera præstat percurrere, quam terere.

CONSTANTINI PROPHYROGENITI *Historia de Vita, et rebus Basilii Macedonis.*

FRODOARDI *Annales*, probissimæ notæ.

Historia Ecclesiæ Rhemensis, pariter supra temporum conditionem.

LUITPRANDI *Historia rerum in Europa gestarum*, quæ præclara est.

Historia legationis suæ ad Nicephorum Phocam.

Chronicon ab anno 606. ad 960.

Nam et hæc duo ab eruditis laudem tulerunt.

RATHERII VERONENSIS omnia.

ETHELWERDI breves quatuor *Libri Chronicorum.*

Ros-

ROSWITHAE *virginis Historica* quævis noscenda; præter pauca, quæ habet de sæculis prioribus. Hæc enim ex Apocryphis hausit. *

NICONIS *de impia religione Armenorum.*

Fragmentum ex Epistola ad Enclistum.

SÆCULO XI.

SYLVESTRI II. *Papæ Epistolæ.*

Libellus de corpore et sanguine Domini.

Sermo de informatione Episcoporum.

Acta Concilii Rhemensis.

Sermo Apologeticus in Concilio Mosonensi.

ALBONIS FLORIACENSIS omnia.

WITIKINDI *Annales de rebus Saxonum gestis.*

HERIGERI omnia opuscula.

AIMONII *Historia Francorum* omissa, leguntur cetera, quæ habet, historica opuscula.

DITHMARI *Chronicon Martisburgense*, prorsus præclarum.

ALPERTI *Libellus de diversitate temporum*; bonus, sed absque ordine, quique admista habet ab instituto aliena de privatis hominibus.

ADELHOLDI *Vita Imperatoris Henrici II.* præclara, sed cujus initia sola extant.

Vita S. Walburgis.

FULBERTI CARNOTENSIS omnia præter *Tractatum in Acta Apostolorum. Epistolæ* habent ma-

* Pro genio Sæculi ejus omnia carmine scripsit, præter christianas comœdias, quibus voluit Terentium excutere e manibus juventutis.

gnam laudem. Neque omittendæ ſunt duæ primum repertæ; una a Dacherio, altera a Marteneo.

Simeonis Junioris *Orationes triginta tres* omittuntur; ſunt enim ex Baſilio magno.

Liber divinorum amorum.

Capita moralia, practica, et theologica.

Ekkehardi *junioris Liber de caſibus monaſterii S. Galli.*

Odoranni *Chronicon.*

Translatio S. Saviniani.

Apologetici initium, quod ſolum ſupereſt.

Bernonis Augiensis omnia.

Radulphi Glabri *Hiſtoria ſui temporis* parum æſtimatur.

S. Odilonis omnia.

Hermanni Contracti *Chronicon*; ſed ſine prioribus ætatibus, quas habet a Beda.

Anselmi Leodiensis *geſta Pontificum Trajectenſium, et Leodienſium.*

Cedrenus et Benzo lectu indigni; quos ego nec nominaſſem, ni forent, qui illis quid tribuerent.

Adelmanni Brixiensis omnia, quæ ſunt perpauca.

Humberti Cardinalis nil debet omitti.

Nicetae Serronii *Reſponſa Canonica.*

Commentarius in Opera Gregorii Nazianzeni.

S. Petri Damiani omnia germana; quæ quidem editor in tanta varietate laude magna partitus eſt.

Hepi-

HEPIDANI *Annales breves rerum in Alemannia gestarum.*

Vita S. Wiboradæ.

ARNULPHI *gesta Mediolanensium.*

ADAMI MAGISTRI *Historia Ecclesiastica a temporibus Caroli magni ad Henricum IV.* cum Appendice de Dania.

LAMBERTI SCHAFFNABURGENSIS *Historia Germanorum*, quæ præclara est, *ab anno* 1050. Nam cetera ex Beda, et aliis hausit.

JOANNIS SCILLIZZAE *Historiarum compendium ab anno* 811. *ad* 1057.

Notoria, et consultatio de Sponsalibus discidendis ad Imperatorem Alexium Comnenum.

BRUNONIS *Historia belli Saxonici*, ubi Henrico IV. valde adversatur.

S. ANSELMI LUCENSIS *Libri contra Guibertum pro Gregorio VII.*

Collectanea de Facultatibus Ecclesiasticis, ipsi vindicata a Mansio *in Notis ad Natalis Alexandri Tomum VII. cap.* 5. *Articul.* 6.

Duæ Epistolæ.

Orationes duæ, pro Mathilde comitissa scriptæ.

MARIANI SCOTI *Chronicon*, saltem *ab initio Libri III.*

BERENGARII *Epistolæ*, et *Recantatio.*

VICTORIS III. Papæ, olim Desiderii, Cassinensis omnia.

GUITMUNDI AVERSANI Episcopi, *Opuscula tria.*

GUILIELMI APULI *historicum Poëma de rebus Normannorum.*

S. LANFRANCI omnia præter *commentarium in Epistolas S. Pauli.*

BALDERICI *Chronicon Cameracense, et Atrebatense;* quod magni æstimatur.

Vita S. Gaugerici, Cameracensis Episcopi.

BENNONIS *vita et gesta Hildebrandi*, quod recta opponitur Brunonis, quem dixi, *Historiæ Henrici IV.* Atque hæc princeps est causa, cur tanti fiat ab his, quorum id interest.

SÆCULO XII.

BERTHOLDI a S. BLASIO opera partium studium æque produnt ac Bennonis nunc dicti narratio, sed in contrarium ille nititur.

S. BRUNONIS CARTHUSIANI *Epistolæ duæ.*

Elegia de contemptu mundi.

Confessio fidei.

MICHAËLIS ASELLI *Dogmatica*, *Historica*, *Moralia*, et *Disciplinaria* omnia legantur. Ex postremis duobus perpauca habet.

PETRI ALPHONSI, ex Judæo Christiani, *Dialogi XII. cum Mose Judæo.* Opus præclarum pro religione Christiana, cui simile vix reperias apud veteres. Sed etiam adjectus Liber *Rabbi* SAMUELIS egregius est.

THEOPHYLACTI *Epistolæ.*

Institutio regia ad Constantinum Porphyrogenetam.

Encomium in Imperatorem Alexium Comnenum.

THEO-

THEOPHYLACTI *Orationes tres.*

S. ANSELMI omnia non Dialectica et Scholastica. Vel inter spuria sunt, quæ tollere velles.

THEOPHANIS CERAMEI *Homiliæ.*

ANTONII MELISSAE *Sententiæ ex sacris et profanis* noscendæ sunt saltem.

SIGEBERTI GEMBLACENSIS omnia; etsi *Chronicon et Liber de Scriptoribus Ecclesiasticis* quosdam nævos habent. Auctor pro ætate doctissimus secessit a Sede Romana. Chronicon prosecutus est *Anselmus Gemblacensis ab anno* 1112. *ad* 1136.

BALDERII, Episcopi Noviomensis, *Epistolæ quatuor*, quas puto solum haberi *apud Baluzium Tomo V. Miscellaneorum.*

ODONIS CAMERACENSIS *Opuscula.*

NESTORIS *Monachi Chronicon Russicum*, quod in Germanicum nunc vertitur.

Vitæ quorumdam Abbatum, et Monachorum cœnobii Peczerini. Utrumque opus sclavonice scriptum habet summam æstimationem, et sunt qui velint in genere Historico par nihil haberi.

LEONIS MARSICANI *Chronicon*; quod non est totum.

Historia consecrationis Ecclesiæ Cassinensis.

S. Mennæ Vita.

S. IVONIS CARNOTENSIS *de Ecclesiasticis Sacramentis.*

Micrologus.

S. Ivo-

S. IVONIS CARNOTENSIS *Epistolæ.*

In Micrologo sunt *septem capitula libelli de Officio Missæ,* Bernoni Abbati a quibusdam adscripta.

HUGONIS FLORIACENSIS *Chronicon*, quod valde laudatur.

DOMNIZONIS *Vita Comitissæ Mathildis*, quam præstat legere prosa oratione, in quam e versibus traducta est a nescio quo.

ANSELMI *Scholastici Epistola, in editione Guiberti Novigentini, a Luca Dacherio curata pag.* 642.

EUTHYMII *Panoplia* noscenda probe, ac consulenda cum feret usus.

ZONARAE omnia.

ALBERTI *Chronicon Hierosolymitanum*, inter omnia argumenti hujus optimum. Quamquam Chronologiæ non est valde curiosus.

MARBODI *sex Epistolæ.*

Vita quorumdam Sanctorum.

Alio nonnulla, satis brevia, quæ conditio argumenti prioribus jungit.

GUIBERTI DE NOVIGENTO pleraque huc faciunt.

HONORII AUGUSTODUNENSIS itidem.

UDALRICI BABENBERGENSIS *Codex epistolaris variorum Pontificum, ac Principum.*

COSMAE PRAGENSIS *Chronicon Bohemorum.*

S. BRUNONIS SIGNINI, quæ *Commentarii*, et *Sermones* non sunt.

BERNARDI MORLANENSIS *de contemptu mundi* etc. carmina duo.

ALEXII

ALEXII ARISTENI *Synopsis Canonum* noſcenda; cum qua *Epitome Canonum*, *Simeoni Metaphraſti* ſuppoſita, plane convenit. Sola ſeries interdum mutatur.

PAULI BERNRIEDENSIS *Commentarius de Vita Gregorii VII.*

Vita B. Herlucæ Virginis.

ALGERI LEODIENSIS *Libri III. de Sacramento corporis et ſanguinis Domini.*

HILDEBERTI CENOMANENSIS omnia, et quidem eo ordine, quo exhibet *Maurinus editor. Tractatus Theologicus*, quantumvis ſcholaſtice ſcriptus, cum Roberto Pullo, et Petro Lombardo munierit viam, percurri debet. Superavit autem multos ſequacium perſpicuitate, brevitate, firmitate.

GOFFRIDI VINDOCINENSIS *Epiſtolæ* cum reliquis; ſunt autem brevia univerſa.

RUPERTI TUITIENSIS *de Victoria Verbi Dei.*

Dialogorum inter Chriſtianum, et Judæum Libri III.

de divinis officiis Libri XII.

de meditatione mortis Libri II.

Altercatio Monachi et Clerici.

de vita vere Apoſtolica.

Epiſtola ad Liezelinum Canonicum. *

de læſione Virginitatis, et an poſſit conſecrari corrupta?

Adde Hiſtorica, quæ habet; *duos libros* ſuperſtites *de rebus geſtis Epiſcoporum Leodicen-*

* Hæc tria ſunt *defenſiones Monachorum, adverſus Clericos*, et Canonicos, quos dicunt *regulares*.

dienſium, et *Abbatum S. Laurentii*, *Vitam S. Heriberti*, *Paſſionem B. Eliphii*, *Incendium Tuitii oppidi.*

Laudantur ejus alia, quæ hactenus non prodierunt; niſi ſunt in editione ultima, quæ fertur apud Italos adornata.

HUGONIS FLORIACENSIS *de regia poteſtate*, *et ſacerdotali dignitate Libri II. ad Henricum Anglorum regem.*

Huic, quod eſt longe optimum, ſubjice reliqua, quæ pertinent ad Hiſtoriam.

GNIGONIS CARTHUSIANI *Statuta ordinis Carthuſienſis.*

Meditationes.

Vita S. Hugonis Gratianopolitani.

NICEPHORI BRYENNII *Commentarii de rebus Byzantynis.*

EADMERI *Hiſtoria novorum*, quæ eſt præclara. Initium ducit *ab anno* 1066. Cetera quoque opuſcula *hiſtorica* et *moralia* digna lectu.

SIMEONIS METAPHRASTIS *Vitæ SS.* ſinceræ; numero centum viginti duæ, ſaltem ſic noſcendæ, ut ad tempora ſua referri poſſint, ſicubi uſus poſcat.

Legenda vero ſunt ſequentia: *Epiſtolæ novem.*

Oratio de Planctu beatæ Mariæ.

Poëmata quatuor.

Chronicon, a Leone Armeno ad Nicephorum Phocam; quod eſt forſan alterius.

De

De *Sermonibus*, *e Basilio magno exceptis*, quæ et huic tribuuntur, dictum ſupra, cum de Simeone juniori. *

Hugonis Victorini miſſis *Scholaſticis*, *Myſticis*, *Exegeticis* pauca ſuperſunt, illi debita; atque hæc ipſa ex Auguſtino vere ſumit. Unde nil juvat editioni operum confuſiſſimæ immorari. Omitti non debet *Epiſtola increpatoria ad Joannem Archiepiſcopum Hiſpalenſem*, qui a Chriſto ad Mahometem defecerat.

Cetera conſulantur, cum ejus auctoritas allegatur; id quod ſatis eſt ad noſtrum inſtitutum.

Petri Diaconi omnia edita. *Chronico* ſæpe diligentia deeſt, et ordo temporis.

Petri Abailardi ſola quæ *Scholaſtica* et *Biblica* nōn ſunt, percurre. Non enim de nihilo ſunt, poſſuntque interdum uſui eſſe.

Orderici Vitalis *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libri XIII.* memorabiles; etſi ſubin peccat in temporum rationem. Quibusdam ejus carere haudquaquam poſſis.

Wilhelmi Malmesburiensis omnia. Eſt enim præcipuus Hiſtoricorum Angliæ, et res *ſeptingentorum* annorum pertexit fide ſumma, ac diligentia.

Theo-

* Hæc ſecundum **Allatii** *Diatribam de Simeonum ſcriptis*; cujus ignoratione multi peccant hodieque, ac Metaphraſtem vix non pro homine bardo habent nulla idonea cauſa.

THEODORI PRODROMI *Amaranthus*, five fenilis amor,

Amicitia exulans. *Differtatio de Sapientia.*
Epiftolæ feptendecim.

Cetera dimittuntur; ut quæ nequidem ad Poëticen valde conducant.

NILI DOXOPATRI *Notitia Patriarchatuum.*

ROBERTI PULLI *Libri VIII. Sententiarum de Trinitate*; ubi ab omni Dialectica, et quos dicunt, *Scholæ terminis* abftinet; contentus Scriptura, et Traditione.

HERMANNI *Abbatis* Hiftorica tantum; *Tractatus enim de Incarnatione* eft mera compilatio.

ANNAE COMNENAE ratio fcribendi in *Libris Alexiados* præclara eft, fed fides deficit. Quare fatius illis abftineas. Laudes tributæ rem ipfam non tangunt. Quid quod ipfe fexus, ac gefta maligna operis famam auxerunt?

FRODAE *Liber Hiftoricus de Islandia.*

S. BERNARDI omnia, quæ conftat ejus effe, legantur. Ipfa *Exegetica* non habent formam Commentariorum, atque huc maxime faciunt.

Adde *fcriptores Vitæ*, ejus æquales, ac egregios.

HENRICI HUNTINDONIENSIS *Hiftoriarum Libri VIII.* Verum ex his mittantur, quæ haufit ab aliis fuperiorum temporum. Quod de pluribus admonui inter Hiftoricos, fcriptoresque Chronicorum.

PETRI

Petri Cluniacensis omnia pretiosa sunt. *Tractatus adversus Judæorum inveteratam duritiem* graviter est scriptus ac eloquenter. *Epistolæ* maximi sunt.

Huic vero par nullus successit inter Ecclesiæ Scriptores. Nam virtute, et prudentia fuit magna; doctrina vero *Bernardum* ipsum superavit. Non erat, qui nostrum agmen clauderet dignius, et monumenta antiquitatis sacræ nunc obsignaret. Quamquam his finem facere superius licuit ante *duodecimum sæculum*; quando qui Critices peritissimi sunt, ista non extendunt ultra initia doctrinæ Scholasticæ. Et hæc cum ætate Anselmi Cantuariensis jam concurrunt. Unus addendus, qui obiit biennio post Petrum Cluniacensem, Otto Frisingensis, cujus omnia habent præcipuam laudem. *Clausula hujus indicis.*

Videor mihi diligenter, studioque partium nullo hic versatus. Si quid omisi in tanto numero (nam et labimur memoria, et schedulas omittimus interdum, et indices oris appositos excutimus, et inter exscribendum aberramus) primo veniam, tum istud oro, ut erroris indicium fiat, semper habiturus grates meliora docenti. Quod si agitur de opinionibus præjudicatis, harum ego rationem non habeo. Sed nec aliis excutere animus est, quos viderim in illis obfirmari. Discendi avidus fui semper: et eos, qui sunt docili ingenio, caritate magna complector. Tales autem quam maxime velim, qui hunc ductum nostrum sequuntur. Instruxi eos armis, quibus sua tueri

possint, parati his respondere, qui doctrinam, vel disciplinam Ecclesiæ cavillis petunt. Nec enim ita sunt res nostræ, ut coram judicibus dicere causam metuamus. Obtestor autem omnes, qui huc accedunt! facessant difficiles nugæ, rixæ solennes: quæque annos absumunt dissidia Scholarum. Tantum abest, ut religionem juvent; ut obsint illi vehementer; hoc solo nomine, quod avertunt animum, et ex bonis horis quotidie quid decerpunt. Si his minus, aliis magis fuissemus intenti, eo nunquam venissemus, ut nunc de summa rei dimicandum foret.

Caput VI.

Cognitio aliorum auctorum, qui legendi molestiam levent, partemque operæ in se suscipiant.

Compendia lectionis Critica.

Multi recentiorum, cum quoddam argumentum versant, intactum nil relinquunt, quod possit eo facere ex quibuscunque veterum monumentis. Igitur ab illa parte nos plane absolvunt ab ulteriori inquisitione; et delatis ad talem locum lectione tota licet supersedere. Vides quam habeat commoditatem id prænosse: et quantum compendii sit in eo, ut horum auctorum fidelis recensio ob oculos versetur! *

§. I.

* Hoc ipsum dicas de nuda mentione rerum, quæ debent ætate quavis notari. Qualis est JOANNIS MABILLONII *Index præcipuarum difficultatum, quæ in lectione Conciliorum, Patrum, Historiæque Ecclesiasticæ occurrunt per singula Sæcula.* Desumptus hic est ex ejus *Tractatu de studiis Monasticis*, et seorsim excusus, *typo San - Gallensi.*

§. I.

Auctores, qui plura capita Antiquitatis sacræ simul exequuntur.

Gabriel Albaspinaeus *Libris duobus Observationum Ecclesiasticarum.* Post Parisinas editiones recusi sunt in Germania. Fuit Auctor Episcopus Aurelianensis, et, ut Mericus Casaubonus ait, ex mera, quantus erat, antiquitate compositus.

Ludovicus Cresollius Jesuita Gallus, in *Mystagogo*, qui *maxima forma Parisiis emissus* 1629. præbet uberrimam messem quam optimæ, ac pulcherrimæ frugis. Idem dico de ejus *Anthologia sacra.*

Aloysius Novarinus in *Schediasmatis sacris*, aliisque huc spectantibus opusculis.

Conradus Rittershusius *Sacrarum Lectionum libris octo.*

Joannes Ludovicus de la Cerda *in adversariis sacris.*

Joachimus Hildebrandus, ex cujus variis opusculis de veterum *templis*, *sacris*, *precibus*, *festis*, *nuptiis*, *ratione moriendi* etc. cum una habentur, velut apparatus existit antiquitatum; quem tanto libentius consulo, quod est jucundum videre, quam se torqueat interdum, ut quædam horum in comodum *Reformationis* vertere possit.

JOANNES STEPHANUS DURANDUS *de antiquis Ecclesiæ ritibus.*

JOANNES FRONTO *Epistolis*, et *Dissertationibus* selectis ad Antiquitates Ecclesiasticas pertinentibus. Accedit *Kalendarium Romanum nongentis annis antiquius cum ejusdem Frontonis Observationibus*, et *Præfatione Joannis Alberti Fabricii* 8. 1720.

JOANNES BAPTISTA THIERS opusculis compluribus, de quibus idipsum dicas, quod de superioribus; nisi quod argumentum insolens, ac exoticum habent.

EDMUNDUS MARTENE *de antiquis Ecclesiæ Ritibus*. Item *de Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis.*

CLAUDIUS FLEURY *de Moribus Christianorum.*

§. II.

Auctores, qui quædam singularia capita Antiquitatis sacræ illustrant.

JOSEPHUS VICECOMES *de antiquis Baptismi ritibus Libri V.* item *de Confirmatione*

LUCAS HOLSTENIUS *de forma, et ministro Sacramenti confirmationis.*

PETRUS LAZERI, Jesuita Romanus, *Exercitatione de antiquis Formulis fidei, earumque usu: Dissertationibus selectis ex Historia Ecclesiastica de Persecutionibus in Ecclesia excitatis ævo Apostolico.* *

LUDO-

* Juvat etiam novisse CHRISTIANI KORTHOLTI *Paganum obtrectatorem*: GOTTL. FRIDERICI GUDII *Paganum Christianorum laudatorem*, et GEORGII GUILIELMI OVERKAMPFII *Judæos primarios Christianorum hostes.*

LUDOVICUS THOMASINUS *de Diebus festis.*

GEORGIUS WHELERUS *relatione de Templis primitivorum Christianorum,*

JOANNES ANDREAS SCHMIDIUS *de Notariis Ecclesiæ tum Orientalis, tum Occidentalis;* quem libellum recuderunt *Lipsienses anno* 1756. Qui hunc non habet, adeat illum PETRI ZORNII *de Notariorum in Ecclesia origine, et usu Tomo II. Opusculorum Sacrorum a pag.* 657.

SEBASTIANUS DONATUS *Libris III. de Diptychis profanis, et sacris Lucæ* 1753.

JOSEPHUS VICECOMES *de antiquis Missæ ritibus, et apparatu.*

EMMANUEL A SCHELSTRATE *Dissertatione de Disciplina Arcani*, ex posteriori editione, quæ habet quasdam accessiones.

BENEDICTI BACCHINI, monachi Casinensis, *de Ecclesiasticæ Hierarchiæ origine Libri III.*

JACOBUS MÜLLERUS *de ornatu Ecclesiastico.*

FRANCISCUS BERNARDINUS FERRARIUS *de ritu sacrarum Concionum Libris II.*

WILHELMUS ERNFSTUS TENZELIUS *de ritu Lectionum sacrarum.*

JOANNES MOLANUS *de Imaginnibus, et picturis.*

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI *Dissertationibus de cultu Sanctorum.*

JACOBUS PHILIPPUS THOMASINUS *Libro de Votis, Donariis, Anathematis, et Tabellis votivis.*

LUDOVICUS THOMASINUS *Tractatu Historico-Dogmatico de Jejuniis Ecclesiæ.*

CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCHIUS *de veterum Agaparum ritu.*

JACOBUS SIRMONDUS *in Historia Pœnitentiæ.*

JOANNES LAUNOIUS *Libro de cura Ecclesiæ pro miseris, et pauperibus.*

OLIVERIUS BONARTIUS *de institutione Horarum Canonicarum.*

JOANNES *Cardinalis* BONA *de divina Psalmodia.*

NICOLAUS SERARIUS, et JACOBUS GRETSERUS *de Ecclesiæ Catholicæ Processionibus.* Accedit aliud Gretseri scriptum *de religiosis Peregrinationibus.*

Idem Gretserus *Libris tribus de Benedictionibus, et Maledictionibus.*

JOANNES ANTONIUS DANDINUS ALTESERRA *in Asceticon, sive originum rei Monasticæ Libris decem:* vel hujus loco *Dominus Bulteau in Histoire Monastique d'Orient.*

LUDOVICUS BULTEAU *in Essai de l'Histoire monastique d'Orient.*

ANONYMUS *in Epitome Gallica Operis Thomassini de antiqua disciplina Ecclesiæ circa Beneficia, et Beneficiarios Ecclesiæ.*

JOANNES LAUNOIUS *de Sacramento Unctionis infirmorum.*

JACOBUS GRETSERUS *de funere Christianorum.*

ONUPHRIUS PANVINIUS *de ritu sepeliendi Mortuos apud veteres Christianos: et de eorum cœmeteriis.* Cui accedit HENRICUS SPONDANUS *in Cœmeteriis sacris.*

JOAN-

JOANNES HENRICUS A SEELEN *de veterum Christianorum erga Magistratum civilem pietate. In Miscellaneis pag.* 155.

Nec omitti debet hac ætate, cum tanta dimicatio de *Tolerantia* est, quæ scribit?

JACOBUS GOTHOFREDUS *Dissertatione de interdicta Christianorum cum Gentilibus communione.*

de statu Paganorum sub christianorum Imperatoribus. *

Utrumque hoc scriptum extat *in collectione Operum ejus Juridicorum minorum Lugduni Batavorum curata* 1731.

ELIAS FRICKIUS *Schediasmate de cura veterum circa Hæreses Ulmæ* 8. 1736.

JOANNES SCHMIDIUS, et FRANCISCUS GUILIELMUS SCHÜTZIUS *Dissertationibus de Combustione librorum varii generis, et in specie hæreticorum Lipsiæ* 1696. *et* 1697.

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS *de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio Libro II. a cap.* 7. *fuse.* Laudat librum *operibus posthumis Thomassini subjectum de Edictis, aliisque rationibus conservandæ unitatis in Ecclesia Catholica.* **

Pro CANONIBUS Ecclesiæ antiquæ habenda ob oculos

H 4 *Syno-*

* Hic habes omnia Edicta Cæsarum adversum Gentiles.

** Muratorii capita multum possunt decerpere ex Augustino, secus operose legenda in *Epistolis*, et *Libris contra Donatistas.*

Synopsis Conciliorum, quam *Tomis eorum* cum *duplici apparatu* PHILIPPUS LABBEUS præmisit. Et quidem hic Apparatus insignis est.

CHRISTOPHORI JUSTELLI *Bibliotheca Juris Canonici veteris.*

JOANNIS CABASSUTII *Notitia Ecclesiastica Conciliorum.*

GUILIELMI BEVEREGII *Adnotationes ad Synodica, seu Pandectas Canonum Apostolicorum, Conciliorum etc.* Hæ enim quantivis sunt pretii.

CHRISTIANI LUPI *Commentarii in Historiam, et Canones Conciliorum*; ubi et *Præfatio* laudem habet.

CAROLI LUDOVICI RICHARD *Analysis Conciliorum Generalium, et Particularium*, quæ hodie et latina habetur.

Porro, quoties occasio feret, consulenda *Collectio maxima Conciliorum* sive LABBEANA, sive recentior HARDUINI; et FRANCISCI SALMON *Traité de l'Etude des Conciles Paris* 1726.

Pertinet denique ad Præsidia hujus lectionis GEOGRAPHIA et CHRONOLOGIA Ecclesiastica, sine quibus innumera in libris veterum percipi minime possunt.

Compendia Geographica. Et quidem Geographica Ecclesiastica absolvitur his præcipuis operibus.

CAROLI A B. PAULO, Abbatis Fuliensis, *Geographia sua, sive notitia antiqua Episcopatuum Ecclesiæ universæ cum posthumis animadversionibus Lucæ Holstenii.*

Abba

Abbatis COMMANSILLII *Tabulis Geographicis omnium Archiepiscopatuum, et Episcopatuum orbis, quibus status antiquus et præsens una exhibeatur. Gallice Rhotomagi* 1700. 8. Atque his junctæ sunt *Tabulæ Chronologicæ*, quantum spectat initia, ac progressus Ecclesiarum.

FRANCISCI ORLENDII *Orbe sacro, et profano illustrato tribus voluminib. fol. Florentiæ ab anno* 1728. *ad* 32.

CHRONOLOGIAE negotium absolvunt *Compendia Chronologica.*

DIONYSII PETAVII *Rationarium Temporum, ex editione Perizonii.*

PHILIPPI BRIETII *Annales mundi, sive Chronicon universale ab orbe condito ad annum Christi* 1660.

JOANNIS DOMINICI MUSANTII *Tabulæ chronologicæ, ex tertia editione Joannis Baptistæ Faure, Romæ et Bononiæ* 4. *maj.* 1752.

DANIELIS PAPEBROCHII *Conatus Chronologico-Historicus ad Catalogum Romanorum Pontificum;* qui in *Actis Sanctorum Tomo IV. Maji*, quin et seorsim habetur.

Vices operum utriusque generis sæpe supplet JOANNIS ALBERTI FABRICII *Salutaris lux Evangelii toti orbi per divinam gratiam exoriens.* Ubi habes *notitiam Historicam, Chronologicam, Litterariam et Geographicam propagati per orbem terrarum Christianismi.*

Quod spectat cognitionem rerum, ac personarum in *primis Hæreticis*, sufficit *Lexi-*

con Polemicum SIANDAE vel PLACQUETI habere ad manum. Quamquam et ipſe Hiſtoricus Eccleſiaſticus, cujus ductum ſequeris, eandem ſuppeditat.

CAPUT VII.

Cognitio Grammatices, ſive de peritia linguæ qua utuntur dicti auctores.

Ante, quam homines caperent conſilium ædificandi Babelicam turrim, univerſi erant *labii unius, et ſermonum eorumdem*, ut ait Sacer Scriptor *Geneſis cap.* II. *v.* I. Tum vero orta diſſenſio eſt in loquendo, et tanta quidem, ut ille populus tam conjunctus, qui rempublicam unam conſtituerat, velut vinculis ſublatis abiret in partes et ſpargeretur ubique terrarum. Neque hic ſtetit difficultas retinendæ ſocietatis; quando ex illis linguis primigeniis ortæ ſunt aliæ quamplurimæ, quarum varietas magis genus mortalium diſtraxit: neque aliter quam vi armorum, everſisque imperiis eſt factum, ut plures nationes, populique diverſi in eundem ſermonem aliquando coirent.

Grammatices quantum pondus in re Critica.

Cum ergo ſit tanta differentia non ſolum in verbis, verum etiam ſignis verborum, ſive litteris, ac ſententia reddenda, per ſe patet, debere eum, qui velit de quodam ſcripto judicare, hujus linguæ intima cognitione eſſe imbutum. Secus enim pronuntiabit de rebus parum exploratis: aut, ſi præceps non ſit in judicio ferendo, ſæpe ob

ob unicam sæpe voculam vel cespitabit, vel detinebitur in itinere coepto. In promptu sunt exempla innumera, viros cetera doctissimos, sed hac in parte minus versatos, non tam alios quam se ipsos decepisse, ac propter unicum versum non rite perceptum aberrasse toto cœlo a sensu auctoris: ideo derisos ab omnibus, hodieque vulgo doctorum fabulam præbere. Ego, qui propero ad alia, illis abstinebo. Quem juvat infirmitati nostræ insultare, habet varios, ac notissimos scriptores, qui talia cumularunt, præsertim cum necessitatem linguæ Græcæ et Hebraicæ operosius commendarent, aut in Historia litteraria clarorum nominum hallucinationes prosequerentur.

Quamquam hac ipsa re quidam longius, quam par est, progrediuntur. Putant enim doctrinam omnem, ac scientiam ab Oriente petendam: neque aliquot solum, verum multis linguis esse opus, ut quis non dico agere Criticum, sed venire in censum hominum litteratorum possit. Longissime absum ab ea sententia; probe gnarus, ætatem quamlibet effudisse examen Censorum; qui cum totos se contulissent ad studium linguarum, per ipsam confusionem, distractamque memoriam non tantum in nulla evaserint plane perfecti, verum etiam emolumentum aliud nullum ceperint, quam farraginem scholiorum, verbis ditissimi, rerum ac scientiarum tantum non inanes.

Quod igitur hoc caput spectat, paucissimis me expedio, tot esse partes artis Criticæ, quæ spectat aucto-

auctorum mentem, quot modis rationis judicium exercere in vocibus licet. Nam oportet saltem linguæ, qua scriptum, editumve codicem legit, naturam expendere, planeque assequi posse, cum incidit in aliquem locum implexum atque obscurum. Quod fiet nunquam, nisi natales sive vocabulorum, sive adagiorum teneat: sciat fabulas, atque ænigmata cognata: vitia, virtutes, discrimina stili non tantum universe, sed etiam ex usu sectarum, ætatum, personarum, ordinum habeat in numerato. Quæ omnia cum est assecutus, quod paucissimis contingit, enimvero non aget minutum et triobolarem criticum (qui mos est Grammaticorum) ut ferat suffragium de germana pronuntiatione, aut orthographia; sed possit majoribus de rebus citra dubitationem statuere; videlicet.

1. Quid auctor reapse illis verbis voluerit:
2. utrum oratio ejus sit sincera, an quodam glossemate interpolata:
3. an verba sana, an vero corrupta:
4. an possint emendari, admittantque medicinam:
5. qua ætate ejus liber sit perscriptus:
6. an sui sermonis fuerit sat gnarus, elegans, disertus, seque argumento rebusque ipsis, ut decebat, accomodarit:
7. denique cujus auctoris sit liber anonymus, vel pseudonymus;

8. quæ

8. quæ quidem maximam partem ex notitia ſtili cujusque pendet; quando in dirimendis controverſiis fere familiam hic ducit.

Eſt autem idipſum ingentis uſus, quodque ſingularem facultatem memoriæ et perſpicaciæ oſtendit. Qui enim in tanta copia Scriptorum hæc omnia continuo diſcernit, debet profecto conſideraſſe verba ſecundum ſuam vim internam, ſecundum rationem originis ſuæ, ſecundum conſuetudinem, moremque ſæculorum, ſcholarum; imo artium, ſcientiarumque ſingularum; quando diverſiſſima eſt acceptio ejusdem verbi, ſenſum alium atque alium ſumentis non ſolum a loco, et tempore, ſed etiam ipſa perſona, ac fine propoſito.

Ab iſtis imparatus non ſolum abſtineat manum a cenſura, ſed diſcat potius, quam doceat; reputans cum animo ſuo, judicium anceps ac incertum calamitatem importare litteris: et eſſe longe deterius vocem ſecus accipere, ac prorſus non intelligere.

Quomodo vero, qui ad unguem non tenet poteſtatem omnem verborum, ſaltem in ipſa lectione ſupplere hanc utcumque poteſt? Reſpondeo absque ambagibus: oportet inſtructiſſimum eſſe veteribus Grammaticis; videlicet *Unde hauriatur, vel potius ſuppleatur quod lectori deeſt in difficultatibus Grammaticis ſolvendis.*

ANSONIO POPMA *de uſu antiquæ locutionis, Libris duobus.*

JANO

JANO GUILIELMO, vel *Guilielmio, filio, in Antiquario;* ubi verba obsoleta, ac formulæ insolentes explicantur.

PHILIPPO PAREO *in Lexico Critico;* quod utinam ordinatius fuisset conscriptum. Sed maxime FESTO POMPEJO, et VERRIO FLACCO *de Verborum significatione*, ut editi sunt *in usum Delphini.*

Imperator JUSTINIANUS, cum induxisset in animum imperii legibus consulere, neque nesciret, verbis non probe intellectis res eis subjectas perpetuo fluctuare, ut nemo judicum per inscitiam de fortunis et vita hominum decerneret, jussit suis *Diggestis* peculiarem *Titulum de Verboum significatione* inserere. Quo factum est, ut nemo diligentius Jureconsultis servaret proprietatem verborum: poneretur que in laudibus eorum, si deperdita hæc injuria temporum omnino fuisset, potuisse ex solis legibus, legumque peritis restitui *. Id ipsum addidit animos egregiis viris ut post lucem litteris illatam tales commentarios etiam in modum *Lexicorum* emitterent, sicut fecerunt operæ ingenti pretio

FRANCISCUS HOFFMANNUS *Commentario de verbis Juris etc.*

JACOBUS CUJACIUS *Commentario ad Titulum de verborum significatione.*

BAR-

* Ex vero dixit CUJACIUS, Jurisconsultos verborum peritiores esse, quam Grammaticos. Sed vide CAROLUM DUKERUM *de Latinitate veterum Jureconsultorum.*

BARNABAS BRISSONIUS *de Formulis, et ſolennibus populi Romani verbis Libris octo* *.

JOANNES CALVINUS (Kahl) *in Lexico Juridico.*

JOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS *in Dictionario Juridico, in quo Barnabæ Briſſonii Opus de Verborum ſignificatione præſtantiſſimum in meliorem ordinem redactum, et pluribus acceſſionibus locupletatum traditur fol. Halæ* 1743.

Mitto alios his priores, ac poſteriores; nec enim opus eſt omnes percenſere.

Neque omitti debent, qui differentias vocum explicarunt; videlicet

HIERONYMUS CINGULARIUS *Tractatu de vocum proprietatibus, ſive terminorum differentiis.*

HENRICUS BEBELIUS *Commentariis de abuſione Latinæ linguæ.*

SIMON VEREPÆUS *Libro III. Exercitationum, quo explicantur dictionum aliquot differentiæ ex Grammaticorum libris.*

BERNARDUS WIDEMANNUS *de Proprietate et Differentiis Latini ſermonis.*

MICHAËL SCHNEIDERUS *in Differentiis vocum nonnullarum etc.*

Quos non ideo appellavi, quod legendos putem. Nam in argumento hoc obiter verſantur, ac phraſibus hærent potius, quam differentiis; de qui-

* Horum eſt optima editio ſecundum recenſionem Franciſci Caroli Conradi *fol. Halæ ee Lipſiæ* 1731. Addi poteſt ejusdem *Lexicon Juris, ſive de verborum . quæ ad jus pertinent ſignificatione Libri novendecim ex editione Joannis Chriſtiani Itteri fol. Francof. ad Moenum* 1683.

quibus nunc ſermo eſt. Major enituit cum Ansonii Popmæ *Libris IV. de Differentiis Verborum*, qui conſuli debent ex editione Joannis Chriſtiani Meſſerſchmid *Dresdæ et Lipſiæ* 1769. Curatior eſt enim hæc ac plenior ex auctariis aliorum. Notandum eſt autem, uſum Popmæ apud ſcriptores Eccleſiaſticos, præſertim a ſæculo VI. non eſſe in eo, ut germanam ſignificationem ab his intentam aſſequare. Nam fere nullam differentiarum rationem habuerunt, et verbis uſi ſunt longe aliter, quam veteres linguæ periti; ſi pauculos excipias, lectione ſubactos ſtiloque politiores. Potius ergo Differentiæ his ſerviunt, qui aſſueti auctoribus claſſicis putant, lapſa latinitate ſenſu eodem uſurpari voces, phraſesque. Quod cum a profanis ſit neglectum, quanto minus ab Eccleſiaſticis ſperetur, qui verba rebus accomodabant, novataque religione neceſſe habebant univerſa novare?

Accedunt illi, qui ſcripſerunt de locutionibus ambiguis. In talibus extricandis cum excellant Juriſperiti politiores Gothofredus, Regius, Gentilis, Bynskerhoek etc.; tamen id non faciunt inſtituto, juſtisque libris, verum aliud agendo. Suſcepit ergo hanc provinciam Joannes Fredericus Reizius, qui apud Batavos fama litterarum floruit haud vulgari. Inſcriptio operis ſic habet: *De ambiguis, mediis, et contrariis, ſive de ſignificatione verborum*, ac *phraſium ambigua Trajecti ad Rhenum* 8. *maj.* 1736. Ubi quidem ordine

ordine litterarum oftenditur, quæ fint ambiguitates, et quomodo poffint caveri.

Quod autem fpectat barbaras voces, ad manum habendi funt

CAROLUS DUFRENIUS CANGIUS, cujus eft notiffimum *Gloffarium ad fcriptores mediæ, et infimæ Latinitatis Parifiis* 1733. *feqq. fex voluminibus formæ maximæ.* *

MARTINUS MARTINIUS, qui fcripfit *Lexicon Philologicum, in quo Latinæ, et a Latinis auctoribus ufurpatæ cum puræ tum barbaræ voces ex originibus explicantur etc. Amftelodami* 1701. *duobus voluminibus formæ maximæ.* **

Quod autem fcriptores Ecclefiafticos Græcos fpectat, reliquorum induftriam longiffime fuperarunt

JOANNES CASPARUS SUICERUS in *Thefauro Ecclefiaftico e Patribus Græcis excerpto, Græce et Latine Amftelodami* 1687. *duob. voluminib. formæ maximæ.*

CAROLUS DUFRENIUS CANGIUS in *Gloffario ad fcriptores mediæ, et infimæ Græcitatis Græce, et Latine Lugduni* 1688. *duobus voluminibus formæ maximæ.*

BEN-

* Hæc editio, a *Maurinis* curata longe præftat priori ipfius auctoris: habetque infignes acceffiones.

** Quibusdam loco omnium horum eft HENRICI SPELMANNI *Gloffarium Archailogicum continens latino-barbara, peregrina, obfoleta, et novatæ fignificationis vocabula, Scholiis, et commentariis illuftrata Londini* 1687. *formæ maximæ*; quod ego propter raritatem nunquam vidi.

BENJAMINUS HEDERICUS in *Lexico manuali Græco, recensito, et aucto a Samuele Patrick, et Guilielmo Young Londini* 1755. *forma quarta.*

Commendatio ejusmodi Lexicorum. Probe novi, esse quosdam, qui facto in doctrina processu, indignum ducunt ad tales libros identidem recurrere. Horum me plane miseret; imo non eorum, sed operæ potius, quam hactenus litteris impenderunt. Etiam doctissimi, quorum vel memoriam, vel scientiam in his rebus plurima effugiunt, nunquam judicant se facere contra dignitatem, si Lexica Critica consulant. Oblito, vel ignaro non est turpe petere lucem, et quærere magistrum; verum illud dedecus habet, ac teterrimam notam, quod assequi te solo minime possis ne ab alio quidem discere velle per ignaviam, fastidium, tumorem. Celeberrimus vir, DIONYSIUS GOTHOFREDUS, cujus tanta sunt merita in hoc genus literarum: quique Grammaticos veteres in corpus unum redegit, suis notis adjectis, ex vero pronuntiat, qui hæc præsidia negligerent, exponere se omnium ludibriis. Cujus dictum firmatur plurimorum exemplo, qui hac sola de causa prolapsi, etiam aliis illuserunt graviter: atque ipsi sibi multum detraxerunt de existimatione, laboribus aliis parta. Cum enim purgare se impensius vellent, citra fucum vero minime possent, causantes omnia, et quod res erat, unum prementes, verterunt risum in cachinnos, ac maculam ex magna maximam fecerunt.

Ratum est ergo, et positum extra dubitationem, rei criticæ præsidium maximum in Grammatica esse, ac ceteris paribus peritissimos cujusvis linguæ de libro ejusdem sermonis expeditius longe, certiusque judicare. Nec intercedat hic quisquam, et vociferetur, in verbis esse totam Grammaticen; in Critica vero sana, dignaque homine Theologo de ipsis rebus ac sententiis agi. Ut enim nil dicam, in omni Theologia sæpissime summam in vocibus esse: neque rarius has cum illa necti necessaria junctione, quam tu mihi rem vel sententiam nisi sermone explicabis, ne dicam definies? Non latuit hoc beatum AUGUSTINUM, qui inter Theologos veluti sol quidam emicat, lumenque maximum fundit. Cum enim in opere *de doctrina Christiana* huc venisset, ut more Philosophorum penetraret intima, quæ pertinent ad docendum, principii loco ponit, inter homines nec verba sine rebus, nec res sine verbis valere; quandoquidem sit ita comparatum natura, ut doctrina quælibet vel rerum sit, vel verborum; res vero nunquam aliter nisi per verba cognoscantur. Quod maxime in Theologia habet locum. Hæc enim innumera complectitur, quæ nemo ex se ipsis novit, nemo oculis, aliove sensu potest usurpare. Ut ergo subeant animos discentium, et rite percipiantur, signis est opus. Quibus autem signis, præterquam his, quæ verba appellamus? Nisi tu, mirabilis Doctor, ac plane inau-

ditus, Theologiam non voce vis tradere, sed nutibus.

Multa de abu'u Grammatices, et quæ hinc sequuntur.

Quæ cum ſint veriſſima, non ideo ſuſcipiam cauſam eorum, qui abeunt in oppoſitum, hærentque ita in verbis, quaſi omne negotium his ſolis abſolveretur. Non eſt id, mihi crede, cognoſcere antiquitatem, verum idioma ejus; quia tractatione perpetua Grammatices implicant ſe tricis aliis, huc minime facientibus, dimittunt propoſitum, ac cortice contenti, parum, ne dicam nihil, veri fructus percipiunt, loquaces, imperioſi, in ſententia contumaces, ac per illam impotentiam animi omnibus graves Dolendum enimvero, artem præclariſſimam ſic degeneraſſe, ut in minutiis perſequendis terat tempus: conatu magno nil agat: et quando inanibus litigiis contumelias addit furioſe, etiam moribus noceat majorem in modum. Quem abuſum damnarunt ipſi Gentiles. Inter alios SENECA *Epiſtola* 88 quæ eſt una ex præcipuis. Ubi quidem cum varia verſaſſet de ſuperfluis ac inutilibus, quæ ſunt in omni genere litterarum, de Antiquariis ita conqueritur: *Plus ſcire velle, quam ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt. Quid quod iſta liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes facit: et ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt. Quatuor millia librorum Dydimus Grammaticus ſcripſit, miſer ſi tam multa ſupervacua legiſſet! In his libris de patria Homeri quæritur: in his de Æneæ matre vera: in his libidinoſior Anacreon,*

creon, an ebriofior vixerit: in his an Sappho publica fuerit, et alia quæ erant dedifcenda, fi fcires. I nunc, et longam effe vitam nega! Quæ cum de prima dixiffet infania, quæ eft in rebus, ad alteram verborum tranfit. *Ipfi quoque* (fapientiam profeffos notat) *ad fyllabarum diftinctionem, et conjunctionem, ac præpofitionum proprietates defcenderunt: et invidere Grammaticis, invidere Geometris. Quidquid in illorum artibus fupervacuum erat, tranftulere in fuam. Sic effectum eft, ut diligentius fcirent loqui, quam vivere. Audi, quantum mali faciat nimia fubtilitas, et quam infefta veritati fit.* Denique oftendit, quousque veniatur hac prurigine dimicandi de minutiis, et fingularem quamque opinionem affectandi; ut poftremo vel in maximis rebus jam nihil habeant explorati. *Protagoras ait, de omni re in utramque partem difputari poffe ex æquo: et de hac ipfa, an omnis res in utramque partem difputabilis fit. Naufiphanes ait, ex his, quæ videntur effe, nihil magis effe, quam non effe. Parmenides ait, ex his, quæ videntur, nihil effe in univerfum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio dejecit; ait, nihil effe. Circa eadem fere Pyrrhonii verfantur et Megarici, et Eretrici, et Academici; qui novam induxerunt fapientiam nihil fcire. Hæc omnia in illum fupervacuum ftudiorum liberalium gregem conjice. Illi mihi non profuturam fcientiam tradunt; hi fpem omnis fcientiæ eripiunt. Satius eft fupervacua fcire, quam nihil. Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum; hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ*

goræ credo, nihil in rerum natura eſt, niſi dubium: ſi Nauſiphani, hoc unum certum eſt, nihil eſſe certi: ſi Parmenidi, nihil eſt præter ūnum: ſi Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos ſumus? Quid iſta, quæ nos circumſtant, alunt, ſuſtinent? Tota rerum natura umbra eſt, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt; an illis, qui ne hoc quidem nobis relinquerunt nihil ſcire. Sic eſt: ſtudium contendendi, ſuaque omnia venditandi perdidit omnes literas: et uti harum nihil intactum, ita ſalvum nihil reliquit. Quos occuparit, ad exotica fere trahet; primum in ſuo foro, tum in quovis alio, ad quem fuerint delati. Primo enim inutilia amplectentur, vel paradoxa, vel falſa aperte; denique omnia in dubium vocabunt libidine judicandi. Et alius quidem nodum in ſcirpo quærens antiquis libris injiciet manus: alius ſtudia humanitatis corrumpet: alius in ſeverioribus diſciplinis omnia miſcebit. Sic factum ab ineunti ætate artium, et ſcientiarum, donec his ultimis ſæculis tempeſtas tota in religionem incumberet. Temeritas Critica cum temeraſſet Traditionem, progreſſa longius in veterum monumentis cenſendis, ſanctum nihil jam habet. Nec Hiſtoria ſibi conſtat, nec Patres, nec Concilia, nec ſenſus ipſe vel Eccleſiæ vel Scripturæ. Odium barbariei Scholaſticæ peperit minutos Philologos, et Criticos: ex his paulatim alii extiterunt hominum et ſuperum cenſores. Multo plures dederunt ſe

cogni-

cognitioni naturalium rerum, ac jurium; quæ poſt initia et proceſſus ſedatiores in eam intemperantiam erupit, ut abolerent prima principia, ſpretaque omni auctoritate conſtituerent *regnum rationis;* non providæ, firmæ, conſtantis, verum ejus, quæ caret fræno, ac quocumque libuerit, præceps feratur Ergo (ut ſunt humana) in utroque genere litterarum turbatum eſt, et ab uno extremo ad alterum venimus; medium nusquam reperturi, niſi Deus interceſſerit. Verum de hoc ſupra *Capite primo* quædam dixi, cum eſſet agendum de faſtu, in quem effuſi ſunt, qui arti Criticæ operam dederunt. Porro locus et occaſio in capitibus ceteris ſæpe ferret idipſum monere, ni crebra repetitio haberet moleſtiam, ac denique ſatietatem lectoribus afferret.

Faceſſat ergo temeritas cenſoria, quæ modum nusquam tenet, nec intra rectum perſiſtit: cumque in uno genere rupit repagula, continuo in reliquis idipſum ſibi indulget tam vitio conſuetudinis, quam propoſita impunitate delinquendi. Ita revertimur ad licentiam in corrigendo veteres, a qua digreſſi ſumus, ſi ſpectes ſignificationem verborum, quam nunc propoſitam habebamus. Nunc ſatis fuerit adſcribere, qui petulantiam Criticorum, ſua, ut vocant

Pericula,	*Veriſimilia*	*Divinationes,*
Conjectanea,	*Caſtigationes,*	*Fortuita,*
Suſpicationes,	*Parerga,*	*Additiones,*
Promulſides,	*Adverſaria,*	*Racemationes,*

In futilitatem Grammaticorum, aliorumque emendatricem Criticam exer-

 Præ-

centium passim inveniuntur auctorem,

Præcidanea, Exercitationes, Emaculationes, Restitutiones, Schediasmata, Miscellanea, Locos obscuros, et male affectos, Schemata, Palæstras, Stateras, Appendices

obtrudentium ambitu magno, et in optimos scriptores ævi veteris sic grassantium, ut illi, si revivisçant, sua vix sint agnituri, mulctandam pro meritis duxerunt. Non autem in hos solos insurgunt, qui vocabula in speciem corrupta, vel ab ipsis parum intellecta loco movent, quædam casca, et ab EVANDRO petita substituentes, quo Archæi habeantur; sed etiam ceteros morbos una petunt, huic generi familiares; uti nove et inusitate dicta, conversiones audaces, priscam orthographiam, derivationes, et differentias arbitrarias; quibus omnibus ludum dant ingeniis, non ad seria, verum illa ducentem, quæ nescire quam scire melius sit. Ejusmodi sunt

ANDREAS GUARNA in *bello Grammatico Nominis et Verbi, regum de obtinendo in oratione principatu,*

JUSTUS LIPSIUS in *Satyra Menippæa,*

JOANNES BARCLAIUS *Parte I. Euphormionis pag.* 95.

GABRIEL NAUDÆUS in *Syntagmate de studio liberali cap.* 19. *

ALETHOPHILUS SINCERUS in *Schediasmate de Scarabæis Criticis, et Hypercriticis.*

Auctor

---

* In THOMÆ CRENII *Methodis.*

Auctor Gallus, sub larva CHRYSOSTOMI MATHANASII in libro: *le Chef d'Oeuvres d'un inconnu;* qui est oppido salsus, ac jucundus.

JOANNES BURCHARDUS MENCKENIUS in *Charletaneria Eruditorum a pag.* 120.

JOANNES GEORGIUS WALCHIUS *Sermone de Scepticismo Critico.*

Commentatione de nugis, et bellis Grammaticorum. *

FRIDERICUS PLATTNER in *Lance Satura.*

JOANNES LAURENTIUS MOSHEIM *Oratione de eo quod nimium est in studiis linguarum, et Critices.*

CHRISTIANUS ADAMUS KLOTZIUS in *Genio sæculi Moribus Eruditorum.*

Somnio, in quo præter cetera Genius sæculi cum moribus Eruditorum vapulat.

Sed præcipue in *libello de Minutiarum studio et libidine rixandi Grammaticorum quorumdam.*

GOTTLIEB WILHELMUS RABNER passim in Satyris, Germanice scriptis.

Auctor operis, itidem Germanici, quod inscribitur Antiquitäten.

I 5 CAPUT

* Tomo I. Miscellaneorum Lipsiensium num. 5.

Caput VIII.

Cognitio legum in Historica Fide æstimanda.

Remittitur hæc ad aliud opusculum.

Postquam de partibus Criticæ primis disserui, de Fide Historica, sane præcipua, nunc dicendum est. Habet nempe Historia quasdam proprias leges, diligenter hic recensendas, nisi in opere über das Wesentlichste in der Geschichtskunde, oder von der Glaubwürdigkeit der Geschichtschreiber sowohl ins besondere, als überhaupt, seorsim has expendissem. Eo autem hæ recidunt:

1. Nullius hominis esse fidem indubitatam.
2. Nec omnes Historicos sibi consentientes efficere certitudinem stricte dictam.
3. De plurimis tamen narrationibus ambigere neminem prudentem posse.
4. Sæpe testimonium unius sufficere ad fidem.
5. Leges Historiæ esse communes tam temporibus, quam locis; imo veteres non aliter de hac statuisse, quam nostros.
6. Requiri ad fidem, ut neque otiosa in loco prætereantur.
7. Sine testimoniis neque facere quemquam posse fidem, neque habere.
8. In turba Historicorum, præsertim hodiernorum, si passim dissentiunt, esse raros, quibus tuto nos committamus.
9. Ne illos quidem, qui has leges sanxissent, præjudicatam fidem habere in narrando, ac ipsos-

ipſosmet interdum graviſſimis in rebus has violare.

10. In tanta diſcordia, quoties res poſcit, a lectore requiri

ut credat ſcribentibus mala de illo, cui ſtudent: et bona ſcribentibus de illo, cui adverſantur.

Ut eventus geſtæ rei conſideret; ut enim in cauſa indubia venitur ad effecta, ſic iſta cum certa ſunt, ſolere de cauſa pronuntiare.

Ut hominum, de quibus diſceptatur, epiſtolas, ſcriptave alia conſulat, ſi quædam reliquerunt.

De rebus, *quæ fidem excedunt*, videlicet de prodigiis, ſequentia docui.

1. Eſſe prodigia, quæ nefas ſit in dubium vocare.
2. Eſſe alia, quæ abſque injuria ſaltem rejicere non poſſis.
3. Eſſe rurſum alia, eaque innumera, non ſolum ſuſpecta, ſed etiam fabuloſa.
4. Fidem prodigii non pendere ab ætate: ac poſſe vel nunc fieri, quæ ſuperent vires naturæ.
5. In iſtis debere nos tanto cautiores, non prorſus incredulos eſſe.

Ibidem agens de *dotibus Hiſtorici*, judicavi, credendum illi,

1. Qui rei geſtæ interfuiſſet, partemque in hac quamdam habuiſſet.

2. Qui

2. Qui afferret idonea testimonia.
3. Qui testes citaret eorum temporum aequales.
4. A quo starent Edicta principum

Tabularia,	Acta judiciaria,
Inscriptioees	Picturae,
Imagines aliae,	Nummi,

Origines et arcana familiarum.
Itineraria melioris notae

De *vitiis Historicorum* ita pronuntiavi; fidem non mereri,

1. Qui esset a facto nimis remotus.
2. Qui de illo vix poterat edoceri.
3. Qui sibi contradixisset aliquando, vel mendacii fuisset convictus.
4. Qui causa *religionis*, *familiae*, *patriae*, *nationis* studio partium duceretur.
5. Qui peccaret in ordinem temporum.
6. Qui impingeret in Geographiam.
7. Qui esset sceleratus, nullave religione.
8. Qui adulari, vel placere constituisset.
9. Qui haberet, quod sibi metueret vera dicendo.
10. Qui his, de quibus scriberet, infensus esset.
11. Qui *juridicis*, quas vocant, *praesumptionibus* uteretur.
12. Qui inquireret in occulta, et de arcanis judicaret.
13. Qui ageret oratorem.
14. Qui stilo valde, et elegantiis studeret.

15. De-

15. Denique qui se anxium ostenderet, ne dicam nimis religiosum.

Seorsim quoque ostendi 1. a condito mundo ad diluvium nil esse extra Scripturam:

2 Sed neque in ætate Mythologica:

3. Vetustissimos scriptores intercidisse:

4. Judæos et Mahometanos fabulis refertos esse:

5 Naturalistas, ceterosque incredulos in vetere Historia turbanda junctis viribus laborare:

6. Græcos primos esse, qui Historiam restituerunt:

7. Postea Romanos:

8. Ex utrisque tam probos enumeravi, quam fallaces:

9. Suspectum dici quemlibet, ea narrantem, quæ vix possis cum sacra Historia conciliare.

10. Veteres nimium his tribuisse, quæ ultra fidem, ac modum sunt.

11. Quæ Physicæ, et Historiæ Naturali adversantur, frustra horum auctoritate defendi

12 Non item insolita, et mira, quibus simile quid in sacris literis, nostrorumque inventis grandibus reperitur.

Eo igitur remitto lectores Nam tædium incredibile habet idipsum verbis aliis redhibere Jungantur duo libri: et quando posterior quoque habet varia priori servitura, alter alteri mutuam opem præstet.

Quam-

Quædam tamen repetuntur. Quamquam ne videar hic nihil de integro ſuſcipere, ſequentia notabo, quæ multi prætereunt in Criticis Diſſertationibus; non quod rem ipſam generatim non tangant, verum huic ætati noſtræ, qua nulla magis Hiſtoriam labefactavit, minime accomodent.

Appellandum ſemper ad teſtes ſive participes rerum, ſive æquales, ſive bis proximos. Dictum ſupra fuit, in Hiſtoria (quod *civilem* æque ac *chriſtianam* ſpectat) cum cetera ſint paria, temporum æquales, et qui rebus interfuerunt, facere fidem præcipuam debere. Quod præceptum nunc habet quotidianam utilitatem. Pertinet enim ad verſutias, fraudesque novatorum, Eccleſiæ palam inſultantium, quod producunt teſtes, alias non ſpernendos, verum recentiores, qui ab eo, cui perhibent teſtimonium, ſunt nimis remoti. Hærent tamen ad iſtud lectores; quia attendunt nominis celebritatem: inque hac defixi non cogitant Hiſtoriæ legem. Non id nunc agitur, quam magni, ſed quam idonei ſint teſtes. Laudent hos illi, quantumcunque volunt, non intercedo meritis eorum; id unum moneo, per eorum auctoritatem, quaſi ad ipſos res devolveretur, averti minus perſpicaces ab aliis teſtibus; qui, non dico nunc magis integri, religioſi vel incorrupti; ſed melius facti ſunt ad ſuffragium; utpote vicini, et ſpectatores hujus, de quo teſtantur. Unus iſtorum pluris eſt, quam turba illorum, qui ſua ex aliis habentes, cum plurimum addant ad numerum, ad pondus nihil.

Ita

Ita multi insignes viri, qui *Chronica* scripserunt optimæ notæ, quamdiu sistunt in rebus, quæ sua ætate contigerunt, merentur magnam fidem. Sed quando narrationem repetunt a sæculis prioribus, annisque, quibus nondum ipsi vixerunt, nisi idem æqualis testetur, cassa est eorum omnis auctoritas. Rursum egregii Philosophi, Jureconsulti, Critici interdum quoddam factum assumunt, Ecclesiæ rebus valde molestum; in quo purgando frustra Theologus laboraret, Criticæ expers, atque ignarus. Verum alius, cui familiares sunt hujus leges: quique optime novit, hæc dici sine testificatione explorata, sine addito auctore ejusdem temporis, ridet scilicet ambiosam sponsionem: et quando invidiam res habet, claritatem hominis nihil vereri, id unum addit: „ Suspicio personam, „ testimonium non item. Quantum illi tribuam „ in ceteris, ostendi haud semel. Quin et hic „ illi assurgam, ut primum videro stipatum teste, „ quem volumus. Frustra autem hunc quæras: „ illamque narrationem a multis adhibitam, quo- „ rum intererat, etiam ipse recepit, non convi- „ ctus, aut persuasus; sed quod pariter videbat, „ suis rationibus convenire. " Verum nolo in hoc hærere diutius; tum, quod sunt manifesta; tum quod in illo libro *Parte II. regula prima* tam exempla, quam argumenta necessarii præcepti executus sum.

Eodem pertinet, ut amator antiquitatis studia nationum probe noscat. Nam hinc maxime pendet *Discat studia nationum.*

det Scriptorum fides, vel dantium quid gratiæ vel negantium. Nec attinet hoc pluribus docere. Nam eodem libro, et de ista lege fusius præceptum est. Sufficit hic duo adjicere. *Primum* quidem, esse paucos, qui nesciant nutare testimonium ejus, qui sit partium studiosus; sed tanto plures, qui partium studia ipsa, hominumque præjudicatas opiniones ignorent; id quod magnum habet, ac perfrequens incommodum; sed tollitur usu convictuque illorum, qui Historiæ literariæ impensius vacant. Hi omnes scriptores velut de facie agnoscunt; neque sciunt solum, cujus gentis ille sit, sed etiam quo maxime spectarit inter scribendum. Nempe, ut exemplo agatur, alieniori fere animo in Sedem Romanam sunt Galli; Hispani et Itali plus justo tribuere illi solent. Ita de Græcis, et Latinis, ita de ceteris, jam magis jam minus affectis erga sententias, privilegia, mores, consuetudinem aliorum, suis rebus obstantium, vel studentium quovis modo. Miror autem, tam multos Ecclesiasticos queri de studiis nationum, studia sectarum nil pensi habere. Quotidie enim terunt Institutiones Historicas, quas sive patroni scholæ suæ scripserunt, sive ipsi Protestantes HOTTINGERUS, SPANHEMIUS, SCHMIDIUS, BASNAGIUS, MOSHEMIUS; ut mittam tot Jansenianos. Horum fidem malam, et libidinem carpendi, qua vetera ac nova mordicus arripiunt, toties ostendimus, ut vix deberent superesse, apud quos derogatum nil sit

tam

tam ſubleſtæ auctoritati. *Secundum* eſt, neque minus huc facit, quod clariſſimus MABILLONIUS, et cum eo principes Criticorum, volunt, eſſe generatim Græcis minus tribuendum, quam aliis. Fuit enim hujus gentis commune vitium, ut omnia tollerent in majus, quæ videbant pertinere ad auram popularem, famamve parandam. Itaque Latini ſequioribus ſæculis, ævoque illo, quod *medium* vocamus, cum hoc ſtudium partium non noſſent, parumve attenderent, in cauſæ veſtibulo aberrarunt, ſuasque hiſtorias a mendace Græcia petitas ſuperlatione et fabulis novis auxerunt. Accedit, quod Græci plerumque tam ſua, quam res Sanctorum non, ut in ſcriptis æqualium erant, ſoleant referre, ſed phaleris verborum, ſtiloque Poëtis, et Oratoribus proprio ultra modum exornare. Exempla pronuntiati innumera extant apud ſolos auctores, qui *Acta* BOLLANDI proſequuntur.

Accedit, eſſe gentes, quæ credendi facilitate pronius admittant mira, et exotica; e diverſo quæ exoſam hanc habent: putantque adverſus dignitatem quid committere, ſi aliis præterquam certiſſimis teſtimoniis adjungant fidem; unde his ipſis ſuſpicioſos, pugnaces, duros ſe præbent. Quamquam poſterius non natura invexit, ſed conſuetudo. Qui enim attendit, paſſim deprehendet, nunc maxime incredulos prioribus ſæculis fabuloſa plurima admiſiſſe, ſimplices, apertos, faciles: quos merito moris antiqui appellamus. Tanta eſt converſio animorum temporibus ac rebus converſis.

CAPUT IX.

Cognitio operum veteribus ſuppoſitorum.

Jam inde ab Apoſtolis nunquam defuerunt falſarii, qui ſive nequitia, ſive ſtupiditate, ſive ſtudio lucri antiquis ſcriptoribus libros ſupponerent. Auctores ſuis ſcriptis metuentes clarum nomen adſciverunt: vel librum ignotum, ut infantem projectitium, ſed pulchellum complexi et adoptantes, ſuum nomen illi indiderunt. Rurſus eodem modo, quo quædam abolita, aut celata invidioſe, ne nocerent; ſic alia, ut nocerent latentius, famamve macularent, certe invidiam removerent etc. tributa ſunt alteri. Sed cauſas aliena ſupponendi percenſent JOANNES CLERICUS *Artis Criticæ Parte III. Sectione* 2. *cap.* 1. et LAURENTIUS MOSHEMIUS *de cauſis ſuppoſitorum librorum inter Chriſtianos ſæculo I. et II.* item *Diſſertatione de piis fraudibus.*

Ad ultimum hoc genus, videlicet obtentum pietatis, præcipue ſpectant, quæ VIGILIUS natione Afer, in Byzacena provincia Tapſenſis Epiſcopus, ſæculo V. in ſe cepit. Cum enim ageret in exilio, ab Arianis oppreſſus, ad vitandam horum invidiam, ſuis ſcriptis, quæ neque ingenioſa ſunt neque diſerta, Athanaſii et Auguſtini nomina præfixit. Quo duo eſt conſecutus, ut odia impotentium hominum verteret alio, et his, quæ docebat, conciliaret auctoritatem. Vide *Franciſcum*

Chifle-

Chifletium, Jesuitam Gallum, qui eum edidit, et illustravit *Divione* 1664.

Ut autem merces putidæ a sinceris secernantur, dabo æquissimas leges, quas in usum privatum ex principibus Criticorum ipse olim collegi primum, tum etiam auxi accessionibus variis. Cuique vero, ut essent utiliores, exempla subjeci, ac momenta rationum.

Regula I.

Libri, quos veteres pro spuriis habebant, nonnisi gravissima de causa possunt pro veris admitti.

Cum igitur apud PHOTIUM *in Bibliotheca*: apud GENNADIUM MASSILIENSEM *in Catalogo virorum illustrium*: apud HIERONYMUM *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in *Præfationibus Commentariorum* sacrorum: in *Epistola ad Magnum, Oratorem Romanum*, et aliis quibusdam: apud EPIPHANIUM *in Panario*: apud EUSEBIUM CÆSARIENSEM *in Historia Ecclesiastica* extat testimonium, quo ad censum Apocryphorum quid amandatur, plane debet pro adulterino haberi. Nempe isti viciniores erant horum temporum, et cum essent toti in talibus exquirendis, ac judicandis, ægre potuit hanc diligentiam effugere, quis foetus notissimo parenti suppositus esset.

Exempla.

Regula freti recentiorum multi varia scripta cujusque ætatis ex indicibus germanorum expunxerunt. Nec est exceptioni locus; maxime cum habe-

habetur ſuffragium ejus. cujus intererat librum pro certo potius, quam falſo dubiove venditare. Vide obvium ex his, qui curatius de Scriptoribus Eccleſiaſticis egerunt, ROBERTUM BELLARMINUM, JACOBUM SIRMONDUM, FRONTONEM DUCÆUM, DIONYSIUM PETAVIUM, THEOPHILUM RAYNAUDUM, PHILIPPUM LABBEUM, HENRICUM VALESIUM, PETRUM DE MARCA, NATALEM ALEXANDRUM, STEPHANUM BALUZIUM, GUILIELMUM CAVEUM, CASIMIRUM OUDINUM, LUDOVICUM ELIAM DUPINUM, SEBASTIANUM NANUM TILLEMONTIUM, RICHARDUM SIMONEM, *Benedictinos e Congregatione* S. MAURI *complures*, JOANNEM ALBERTUM FABRICIUM, REMIGIUM CEILLIER, GEORGIUM CHRISTOPHORUM HAMBERGER etc. etc.

Debet autem teſtimonium, quod extat apud veterem, non eſſe infirmum, vel obſcurum; ſed apertum, ac exploratum. Ex dubiis, quæ habent novam quæſtionem, comperti certique nihil extundas.

Quam neceſſe ſit hoc animadvertere, præ aliis docet GELASIUS Pontifex. Hic enim *in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum anno* 494. Decretum fertur feciſſe, quo varia ſic damnantur, et reprobantur, ut præbeant ſuſpicionem, illud ipſum ad hanc claſſem pertinere, ac eſſe auctoris multo poſterioris. Habeo autem ejus rei idoneas rationes. Et *primam* quidem, quod ibi citantur libri illo anno nondum perſcripti; ut *Tractatus de revelatio-*

velatione capitis S. Joannis Baptistæ, qui primum est vulgatus post ævum *Marcellini Comitis*, ibidem memorati. *Secundam*, laudatur *opus Paschale* SEDULII, quod a Turcio Rufino Asterio Consulari collectum est, sed post annum quadringentesimum nonagesimum quartum. Nam hoc anno Consulatum iste gessit. *Tertiam*, insunt illi absurda multa, tam Gelasio, qui minime fuit indoctus, quam Synodo Romana prorsus indigna. Certe scripta, quæ orbis universus verebatur, pravis accenset. In eodem videas *Historiam Ecclesiasticam Eusebii* inter bona receptam, et inter mala rejectam *: opera CLEMENTIS ALEXANDRINI, TERTULLIANI, JULII AFRICANI, COMMODIANI, ARNOBII, LACTANTII Apocrypha declarata. Repudiantur quoque CANONES APOSTOLICI, quos paulo post Dionysius Exiguus, et Gelasius ipse admiserunt. Demum auctor monet, se Hieronymum in omnibus sequi, cujus Canoni Bibliorum prorsus repugnat, quemadmodum auctoribus ab illo valde laudatis. Adde, quod ante quadragesimum annum IX. sæculi nullus scriptor, quacunque occasione oblata, ejus meminerit. Scio, Decretum hoc a Justo Fontanino, Josepho Blanchinio, Joanne Dominico Mansi de integro ex codicibus vetustis protractum, collatumque cum priori fuisse; sed

* Cum tamen, quod probe nota! Libro contra Eutychen. et Nestorium, de duabus in Christo naturis, qui compertus est Gelasii fœtus, fiat Eusebii mentio satis honorifica.

ſi diverſum eſt ab iſto, mecum ſentiunt *; ſi idem, oportet ab eis rationes meas convelli. Quod ſi non præſtiterint (nam illorum editiones habere non potui) non eſt ſane, cur abeam a ſententia; præſertim cum ab ea ſit minus timendum veritati.

Regula II.

Teſtimonium Auctoris ipſius. *Cum quis auctor de ſe ipſo teſtimonium dicit, cui nulla ſubſit cauſa ſuſpicionis, vel mendacii, quæ poſt illum traduntur, nec hilum valent in illo toto argumento ſive ſcriptorum ſive geſtorum.*

Ratio eſt evidens; quis enim, cujus ſit ſcriptum, norit melius ipſomet auctore?

Exempla.

Thomaſſinus Parte I. Libro 3. *cap.* 3. ex Auguſtino ipſo conficit, cum ante, quam eſſet ad gradum Epiſcopi evectus, cœnobitam non fuiſſe. Ad quid ergo tot clamores, et teſtimonia poſteriorum, qui hac pro re velut aris ac focis ſuis ultra ducentos annos dimicarunt? An ſolus neſcivit Auguſtinus, quis fuerit: eratve idonea cauſa, cur premeret, vel inficias iret? Sed de factis non agitur id loci. Aliud eſt, quod volo. Hoc enim teſtimonium evertit ſcripta, in quibus pro monacho ſe gerit; etſi ſuſpicionem falſitatis aliam non præberent.

Liber

* Omne diſcrimen in eo eſt, quod debent dicere valde corruptum, quod ego plane ſuppoſitum dixi.

Liber de septem dormientibus apud S. Gregorium Turonensem esse ejus non potest; quia in Epilogo *Historiæ*, ubi omnes suas lucubrationes, et quidem biennio ante obitum, recenset, mentionem hujus aliquam minime reperimus.

Magis extat illud, quod lego apud Gennadium Massiliensem *Libro de Dogmatibus Ecclesiasticis ad Gelasium Papam, ad calcem operum Augustini, Tomo VIII. Maurino* de necessitate divini auxilii, industriam hominis semper et ubique præcedentis: *Manet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas, idest rationalis voluntas; sed admonente prius Deo, et invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis; hoc est inspiratione Dei. Ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Deo esse libere confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus. Ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris: ut non labamur ab indepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est et cœlestis pariter adjutorii: ut labamur, potestatis nostræ est, et ignaviæ.* Quis eorum, qui maxime infensi sunt Semipelagiono errori, posset evidentius mentem explicare? His verbis, si quid video, evertitur ille penitus, imo jugulatur. Tamen identidem recurrunt, qui cum Jansenio Iprensi Gennadium ex asse Semipelagianum clament. Atque hoc illi fatum commune est cum S. Vincentio Lirinensi, et plerisque ejus ætatis Arelatensis, Viennensis, Lug-

dunensis provinciæ Episcopis. Quod percipere non possem, illos facere inanibus conjecturis; nisi scirem, GOTHESCALCUM, atque alios, tot testimoniis oppressos, contentione summa ab eis defendi; nulla habita existimatione virtutis, qua illi superiores in Ecclesia semper fuerunt. Ut enim ceteros mittam, *Hadrianus* Papa, sæculo abinde secundo, honorifice de Gennadio loquitur *Epistola* 3. *ad Carolum magnum;* imo ut scriptorem orthodoxum cum præfatione sanctitatis allegat pro veneratione, quæ Sanctorum exuviis deberetur. Habent ergo causas consilii sui, quas facile sit hos omnes odorari, qui non sunt naribus obesis.

Sed quid faciam testimoniis tot, ac tantis de ORIGENE; cujus *Commentario in Matthæum* 19. 12. *pag.* 369. *editionis Huetii* diserta insunt verba: *Nos, qui Christum Dei verbum secundum carnem, et secundum litteram olim novimus, nunc autem non amplius noscentes, eorum interpretationem non probamus, qui cœlestis regni obtinendi causa castrationem sibi intulerunt?* Non video locum effugii, nisi postquam se exsecuerat, istud scripsit. Atque sic factum esse, sunt multa, quæ persuadent. Sed non est meum omnia adscribere in gratiam exceptionis, quæ huic legi certissimæ nullatenus possit fraudi esse.

Regu-

Regula III,

Si in quadam ſcriptione habentur voces, quæ ſint inferioris ætatis, manifeſtum ſit, auctori, cujus nomen gerit, ſuppoſita eſſe. *Voces inferioris ætatis.*

Nec enim fructus ante florem, nec liberi ante parentes ſunt in rerum natura.

Exempla.

Exemplo ſit *vita S. Joannis diſcipulo* PROCHORO *tributa.* Nam in hac reperias voces Τριάδος, et ὁμουσίᾳ, quæ certiſſime ſunt ſæculi quarti.

Has ipſas voces habet *Commentarius in Jobum Latinus*, quem olim ferebant ORIGENIS eſſe.

Idem dicas *de Conſtitutionibus Apoſtolicis: de operibus Dionyſio Areopagitæ* tributis: *de Decretalibus Epiſtolis Romanorum Pontificum usque ad Siricium;* nam in omnibus his ſunt vocabula, de quibus primi Chriſtiani nec per ſomnium cogitarunt.

Regula IV.

Cum priore conſerta ita habet: *Ubicunque incidimus in res vel perſonas, quæ ſunt recentiores auctore, licet centies præferant hujus nomen, manifeſto indicio falſitatis convincitur vel totus liber, vel certe pars libri, in qua hæc occurrunt.* *Mentio de rebus, vel perſonis auctore poſterioribus.*

Ratio eſt eadem, quæ in Regula ſuperiore.

Exempla.

In Pſeudo-DIONYSIO allegatur Ignatius Martyr, quem dimidio ſæculo Areopagita præceſſit.

In *Quæstionibus*, quas volebant S. JUSTINI Martyris, laudantur Irenæus, et Origenes, longe juniores hoc Martyre.

In *libro de Theologia, et Incarnatione*, qui nomen HIPPOLYTI præfert, varia legas, quæ sunt quarti, quinti, septimi sæculi.

S. CYPRIANO tribuerunt quædam, ubi loci sacrarum litterarum ex interpretatione Hieronymi allegantur.

In Commentario TITI BOSTRENSIS lego nomina Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Isidori Pelusiotæ, Cyrilli Alexandrini, quos palam est omnes Bostrensi esse posteriores.

In *libro de Spiritu, et Anima*, qui olim AUGUSTINI ferebatur, occurrit nomen Severini Boëthii, et placita Philosophiæ Aristotelicæ plura explicantur, illi ætati plane incognita. Necesse est ergo, sæculis multis prodiisse post Augustinum.

S. REMIGIO RHEMENSI adscriptus est *Commentarius in omnes S. Pauli Epistolas*, in quo non solum Benedictus, Beda, Gregorius magnus laudantur, sed etiam fit mentio iterata Sarazenorum.

Mitto *Constitutiones Apostolicas*, et *Epistolas Decretales*, ubi non tot quin plura sunt de templis, aris, consecrationibus, exorcismis, dignitatibus, officiis, vestibus, ceremoniis, quæ dicat nemo fuisse ætatis ejus. *

Porro

* In *Decretalibus* Blondellus ostendit sententias ex auctoribus posterioribus ad verbum exscriptas a Patre, Pontifice, Concilio

Porro regula habet frequentem uſum in Hæreſibus. Nam hæ ante, quam eſſent natæ, non poterant referri, minus incuſari in libro antiquiore. Aliud eſt, ſi quædam aſſinia docet: et auctor hæreticis cognitus viam munivit ad aberrandum. Nam apud *Clementem Alexandrinum*, et *Origenem* ſunt multa ſemina poſteriorum errorum.

Regula V.

Stilus nexusque ſermonis, qui abit longius a ratione ſcribendi, qua eſt auctor in opere ſincero uſus, argumentum clarum præbet ſuppoſitionis illi factæ. **Stilus alius.**

Antiquiſſima hac lege non *Photius*, non *Gennadius* tantum, ſed etiam *Hieronymus*, et *Euſebius Cæſarienſis* falſa multa a veris ſecreverunt. Equidem qui ſunt dicendi peritiores, poſſunt alterius dictionem imitari; ſed velut fato quodam accidit impoſtoribus, ut ſe prodant alicubi, ac impingant. Quod omnes dabunt, quotquot judicare de ſtilo noverunt. E millibus vix unum reperias, qui dedita omni opera efficere poſſit, ut in diſpoſitione, nexu, uſu particularum, proprietate familiarium vocum, elocutionis tota forma veſtigium fraudis non relinquat. Quod toties Critici

cilio, cujus præferunt nomen. Etſi enim auctores poſteriores potuiſſent eadem ex Decretalibus ſumere, tamen non ſumpſiſſent, quin (ut in ceteris fecerunt) nominaſſent eum, cujus teſtimonia allegabant. Dein illæ ſententiæ cum his, quæ præcedunt, et ſequuntur, ita conſertæ ſunt apud eum, ex quo hauſit falſarius, ut videas clariſſime, non hic loqui alium, ſed eundem.

tici oſtenderunt, et lectores in auctoribus verſati monente nullo per ſe animadvertunt. Quoties ego loco Patris exſcripto, cum eſſem oblitus ſive nomen addere, ſive librum, primoque aſpectu putarem actum de his reponendis; quamprimum apud me verba expendi, ſtilumque reguſtavi, ſenſi extemplo, neque hujus poſſe eſſe, neque illius; accedere vero ad iſtius dictionem: atque ita negotio nullo ex ſaliva, cujus eſſent, deprehendi.

Exempla.

Epiſtolæ SENECÆ *ad Paulum* nec umbram habent dictionis, Philoſopho Romano uſitatæ. Neque dicas, ſi hæ non habent, germanæ perierunt. Id enim neutiquam conſtat: et Senecam Evangelii notitia nulla imbutum clamant omnia opera, ut Lactantius, qui et perdita ejus legerat, probe agnovit. Idem de Auguſtino dicas. Vide ÆGIDII STRAUCHII *Exercitationem de confiсto Senecæ Chriſtianiſmo.* De ipſis Epiſtolis agunt JOANNES ALBERTUS et BERNARDUS ELSINGIUS. *

Sed neque *Libri VI. de Sacramentis* poſſunt AMBROSII eſſe; quia ſtilo ejus plane indigni.

Regula VI.

Viciſſim ſtilus idem ſtat contra ſuppoſitionem.

Si contra vocantur in dubium, quæ præferunt notas omnes ſtili, habentque eandem rationem explicandi ſui, quæ eſt in auctore, debet viciſſim ſtatui, talem librum injuria ipſi abjudicari.

Pro-

* Ille *in Codice Apocrypho novi Teſtamenti a pag.* 88. *et ibidem Parte III. a pag.* 710; iſte in *Diſſertatione de Pſeudepigraphis S. Pauli Apoſtoli.*

Proſtat hic velut lydius lapis: et ſicut vix eſt homo, qui non vultum, vocem, geſtum, morem, genium proprium habet; ſic nullum dabis, cui non ſint ſingulares rationes ſcribendi, quibus nullo negotio dignoſcatur a rerum harum æſtimatoribus. In eundem modum artifices de artifice certo pronuntiant: pictor pictorem, ſculptor ſculptorem agnoſcit, ac ſæpe in unica linea legit auctoris manum. Verum fuſe de hoc egi in *Præfatione Libri II. de Eloquentia Patrum;* quam qui volvet, de veritate utriusque canonis, ſuperioris et hujus, tam parum dubitabit, ut concedat, nec fratrum ac gemellorum ſimilitudinem obſtare, quo minus notiſſimam faciem quis internoſcat ex aſſuetudine contemplandi.

Unum video poſſe objici, auctorem eundem nonnulla aliter ſcribere. Id quod verum eſt; ſed in loco, ac tempore; videlicet cum vult de induſtria latere, vel argumentum eſt nactus diſſimile prorſus: vel etiam cum dudum mutavit ætatem. Tum enim facilius largiar, ſtili ſimilitudinem non poſſe requiri ab æquo judice. Sed verba SIXTI SENENSIS adſcribo, quæ ſunt bella omnino, et huc maxime faciunt. Ait autem *Libro IV. Bibliothecæ ſanctæ ad finem: Nec ſum neſcius, eſſe qui diverſum ſentiant, aſſerentes, in deprehendendis titulorum impoſturis nullum indicium ſtilo fallacius; quoniam non idem ſemper ſit eidem dicendi modus; ſed pro argumenti ratione vel ætatis mutatione, vel ſtudii profectu, vel affectuum diverſitate: et ſæpe duorum auctorum*

rum character sit omnino persimilis. Quod nec ipse prorsus inficior. Aliter enim in epistolis suis scribit Hieronymus, aliter in decertationibus adversus Rufinum, et Vigilantium loquitur, et aliter in Commentariis Prophetarum. Alio modo dicebat, cum esset admodum juvenis, et adhuc Rhetorum exercitatione calens: atque alio modo senex, cum graviora ac solidiora sectaretur; sed ita tamen semper scribit ac loquitur, ut ubique eum agnoscas esse Hieronymum. Quemadmodum et familiaris tibi amici faciem nunc iratam, nunc mitem, nunc tristem, nunc alacrem, ejusdem semper esse hominis cognoscas. Fateor etiam inter aliquos (etsi id rarissimum sit) tantam contingere posse stili similitudinem, ut eos non facile sit discernere; tamen industrius stili artifex similitudinem a similitudine distinguet non aliter, quam adamantes magnitudine pares, et splendore non dissimiles internoscunt gemmarii sagaces etc.

Exemplum.

S. Augustinus, cum diceretur, Epiſtolas CYPRIANI contra Baptiſmum hæreticorum confictas eſſe, *Epiſtola* 48. *ad Vincentium* germanas respondit eſſe, *eoquod stilus ejus haberet quamdam propriam faciem, qua posset agnosci.*

Regula VII.

Stilus alterius ætatis vel conditionis.

Sæpe fit, ut ex stilo non possit peti argumentum adversus controversam scriptionem, præcipue cum ejus auctoris nulla habetur, quæ possit cum ista conferri. Tum ergo debet ratio haberi

beri aliorum, qui scripserunt eadem tempestate: et si phrases deprehenduntur, a genio sæculi diversæ, habetur idonea causa auctoris repudiandi.

Nempe est quædam conditio personarum, et sæculorum, quæ satis constanter suum solenne tenet.

Exempla.

Prima movit *Eusebium Cæsariensem, ut Libro III. Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 25. non dubitaret asserere, APOSTOLORUM esse haud posse, quæ propter credulitatem eorum temporum his tribuebantur. Desiderabat enim illam Apostolicam rationem, gravitati divinorum hominum propriam; quæ, licet non eadem, tamen similis esset in omnibus: et ad se tam prope accederet, ut scriptis una alteri velut responderet. Certe moribus ac dignitati congruunt perfecte: ac alter alterius velut imaginem præfert in studio divini honoris, gravissima simplicitate, sapientia, ardore caritatis: quæque alia sunt primorum Nuntiorum ornamenta.

Altera *Garnerio* idonea visa, ut MARII MERCATORIS ante nemini visos libellos, quorum stilum cum scripto priore ejusdem auctoris non licuit illi contendere, sincera statueret. Quod fecit fere omnibus suffragantibus. Nam singula hic redolent mores, personas, negotia, controversias, dictionem ætatis, qua scripsisse se is indicat, Augustini scilicet; nam ob copiam monumento-

mentorum æqualium hæc mox internoscitur ab usu peritis.

Regula VIII.

Vestigia Latinitatis in auctore Græco.

Si in libro, qui præfert Græcum auctorem, vestigia sunt Latinitatis, vel quædam latina explicantur, aut vertuntur in usum, habemus notam falsæ inscriptionis.

Ratio est probata cunctis, in Græcia non peregrinis. Nam Græci ab hoc maxime abhorrent, et a Latinis judicandis ubique abstinent manum; sibi soli sufficientes, neque indigi, ut opinantur, sapientiæ alienæ.

Exempla.

Hæc una regula ex Collectionibus sive Patrum sive aliorum exterminavit quam plurimas scriptiones. Opus imperfectum *in Matthæum* præfert tot notas auctoris Latini, ut ab his quoque, qui volunt errores varios illi affutos, non tantum Chrysostomo, cujus olim ferebatur, sed etiam reliquis Græcis quibuscunque abjudicetur. Vetus Testamentum secundum *versionem Italicam* allegat, et passim habet locos, quos videas non interpretis, sed auctoris esse Specimen dant sequentia. *Homilia* 45. simulatorem virtutis ita stringit: *Dicito mihi hypocrita! si bonum est esse bonum, ut quid non vis esse, quod vis apparere? Si vero malum est esse malum, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse; quod autem formo-*

formosum est apparere, formosius est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es.

Sic etiam, quoties lego *Diatessaron*, jam TATIANO, jam AMMONIO tributum, atque ut volunt ab *Ottmaro Luscinio* e Græco versum, mihi videor elegantem paraphrasin audire, quæ nihil habeat exteri sermonis, verum plane in Latio sit nata.

Neque dici potest, etiam in his, quæ AMBROSIUS ex Origene, ac BASILIO transtulit, saporem Latinum ubique servari; ut si fontem nesciremus, juraret quisque autographa esse. Nam Ambrosius illa non vertit, sed addens jam, jam demens usus est magna libertate, remque ipsam, non phrasin propositam habuit.

Commentarii HESYCHII *Hierosolymitani* versionem Hieronymianam *nostram translationem*, nostram editionem vocantes eodem indicio se prodiderunt. Neque juvat cum *Carolo Sardagna in Indiculo Patrum* verbo *Hesychius* de integro argutari: *Id forte non Hesychius in Græco textu, qui nunc injuria temporum interiit, sed de suo addidit Hesychii interpres, qui libros illos ante sæculum nonum, utpote ab Amalario, Rabano, Walafrido etc. laudatos, Latinitate donavit; eo nimirum tempore, quo versio Hieronymiana in Occidente jam diu obtinuerat.* Nam huic merissimæ conjecturæ patrocinatur nihil in toto opere. Quid enim Græci? Quid translatum sonat? Sed neque religiosus interpres id sumit sibi,

 ut

ut in Scriptura explicanda abeat ab auctore, nullove signo istuc se facere lectoribus declaret.

Quod si quædam repugnant, et videntur Græcam originem vindicare in tali lucubratione, vestigia Latinitatis pariunt saltem aliam suspiconem: et qui minimum dederit, non inficiabitur, esse interpolatam: atque vel librarium vel editorem cum fraude in negotio versatum.

Porro ejusmodi dubitationes non haberent locum: lisque brevi confecta esset, si constaret aliunde, auctorem sive fuisse, sive non fuisse bilinguem. Qui enim callet utrumque idioma, facile censetur, potuisse jam hoc jam illo quid litteris mandare.

Sed ubi id ostendes in aliquo scriptore Orientis? Latinorum Patrum multi Græcum callebant; vix quisquam Græcorum, Syrorum, Ægyptiorum, vel inter profanos, sermone Latino fuit usus. Operibus S. GREGORII *magni* adjecerunt quædam græce scripta; sed pessimo consilio; cum ipse fateatur, se esse hujus linguæ ignarum Equidem Constantinopoli causam Ecclesiæ olim procuravit ante summum sacerdotium; verum id per interpretem præstitit, non se ipsum.

Regula IX.

Simulatio scriptionis Latinæ apud Scriptores Orientis.

Cum liber mentitur parentem Græcum, nil agunt, qui causa vendicandi ejus huc confugiunt, ut dicant eum latine scientem, habuisse rationes suas, cur nollet sermone patrio uti.

Ratio

Ratio hujus legis jam patet ex priore regula; ſed volo illam nunc magis in luce collocare. Auguratio, quam dicis, impoſtori non tam inducit larvam, quam detrahit. Cum enim ſcriptores Orientis tantopere abirent a conſuetudine Latini ſermonis; contra nativi tam amantes, quam periti eſſent, intra patriam in animum non induxiſſent, ut inſcribendo ſubirent tantum moleſtiæ, nec tamen a popularibus intelligerentur. FAVORINUS, ac alii profani, apud Latinos, ſcripſerunt græce; et quidem eleganter. Sed Romæ ſcilicet, et in aliis magnis urbibus provinciarum; ubi cum Græculis omnia ſcaterent, eruditi ac nobiles Græca non minus, quam vernacula verſabant; haud aliter ac hodie fit cum Gallicis. Sed ideo nemo Græcorum Latine ſcripſit; quemadmodum nemo Gallus Germanice, Polonice, Ungarice ſcribit. Qui fata ſermonis Latini percenſent, hoc probe notarunt. Eſt enim una cauſarum, quæ jam ante incurſiones barbarorum in caſum impulit elegantiam ac majeſtatem linguæ Romanæ.

Equidem nonnulli Græci, ut erant fallaces, factique natura ad ſimulandum, cum ſua intereſſet, eo ſunt progreſſi, ut fingerent, e ſuis quemdam Latina mandaſſe literis; verum fraus brevi detecta eſt, et fidem nusquam invenerunt apud rerum peritos. Specimen palmare habes in *Tractatu de Septuaginta Domini diſcipulis*, qui extat Latine *Tomo III. Bibliothecæ Patrum*, *et ad calcem editionis Romanæ Salviani anno* 1564. *forma folii*: item

 in

in Chronico Paschali Parisiis 1688. *ead. forma.* In hoc miræ ſunt fabulæ, teſtibus prorſus deſtitutæ. Præcipue oſtendas Herodem, qui Chriſto illuſit, confectum pediculis: et filiam, cum laberetur per glaciem, hac rupta, ac iterum coëunte capite mulctatam. Quamquam et alia occurrunt, quæ faciant ad quædam capita Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ explicanda. Quo eſſet merx vendibilior, fingit auctor, omnia a S. DOROTHEO, epiſcopo Tyri, cum eſſet utriusque linguæ peritus, Latine ſcripta, et a ſe Græce reddita. Ut autem abeſſent notæ reliquæ ſuppoſitionis, et liber revera latuerit duobus ſæculis, quis ſanus perſuadeat ſibi, hominem Græcum, ne dicam Syrum, qui floruit anno 303. et imperante Diocletiano fuit graviſſima perpeſſus, ſua monumenta, uſibus populi deſtinata, conſignaſſe externo ſermone? *

Regula X.

Errores in Grammatica, titulis, numeris, citationibus quid probent?

Frequentia ſolœciſmorum haud efficit ſuppoſitionem; minus varietas inſcriptionum, et capitum: imo numeri, ipſique loci Scripturæ perperam poſiti.

Ratio explicata, et perſpicua eſt, quia diverſitas hæc non in auctorem, nec in cetera hujus ſcripta cadit; ſed debet librariis vitio verti, qui ob imperitiam, affinitatem litterarum, omiſſionem,

* Vide in hanc rem *Guilielmum Cave in Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoria Litteraria ad annum* 303 ubi ſubleſtum ſchediaſma, a quodam *Procopio* ſub annum 525 procuſum obſervationibus variis expenſum, falſitatis convicit.

nem, ceteramque negligentiam, vel aberrationem peccant sæpissime *. Quid quod ipsa vetustate inducuntur plurimi errores: neque novum est, ab optimis auctoribus solæcismos admitti? Quod præcipue ostenderunt LEO ALLATIUS *Dissertatione de erroribus magnorum virorum in dicendo*: JACOBUS BOILEAU *Colloquio Critico de Sphalmatis virorum in re litteraria illustrium:* CHRISTOPHORUS AUGUSTUS HEUMANNUS *Commentationis de arte Critica a* §. *XL.*

Exempla.

Male Christianis rebus consuleret, qui S. HILARIO PICTAVIENSI ex hoc capite, quod vitia sermonis in ejus libris plura sint, abjudicare hos vellet. Sit enim, ex cultioribus esse eum, suamque dictionem velut librare, illi potuit accidere, quod ipsi experimur. Distenti enim labore, et obruti negotiis, cum redimus ad scribendum vel memoria labimur, vel quædam effundimus, quæ post in ipsa correctione fallunt diligentiam, utique rebus magis, quam verbis intentam. Recte igitur fecit Erasmus, quod in *Præfatione ad opera* hujus Præsulis dixit: *Tales solæcismi solent nonnunquam et eruditissimis obrepere; adeo ut et in Ciceronis libris unum, atque alterum deprehendas; ne quis*

* Aliter dicendum, cum dictio tota squaliet, densisque stribiliginibus impedita velut revolvitur. Tum enim redimus ad Regulam, quæ præcipit de judice stilo. Certe *Liber Pontificalis*, seu *de Romanis Pontificibus*, non solum ideo negatur DAMASI esse, quod tacetur ab Hieronymo, sed etiam ve maxime, quod ratio scribendi meram barbariem sonat, qua absuit Damasus.

continuo mendum esse suspicetur, et rasuram paret. Quod si non licet castigare, quanto minus suppositititium statuere, quod his labeculis aspersum sit?

S. Augustinus de industria quædam perperam dixit *in Sermonibus*, et plane peccavit in leges Grammaticæ. Fecit autem, ut a plebe, quæ solæcismo assueverat, facilius perciperetur; nam professus est, malle se reprehendi a Grammaticis, quam a rudibus non intelligi. Quam in rem multa, et ab aliis Patribus, in opere *de Eloquentia* horum dixi; cum ostenderem, quam illi se genio, captuique imperitorum accomodarint.

S. Paulinus fuit ex optimis Poëtarum sacrorum; cujus carmina a profanis etiam laudantur. Quod si ob violatam subin prosodiam auderes dicere, esse alterius, non illi haberes honorem, verum injuriam gravem inferres. Quoties enim fatetur, se vel in prosa depascere luxuriam stili, et simplicitatem christianam omnibus munditiis præferre? Tanto pronius fuit, ut syllabarum modos negligeret in versibus, pietati soli destinatis. Ut ergo dixi, Erasmum recte fecisse, cum solæcismos Hilarii excusavit, sic queri nunc de illo debeo, quod aculeis, ipsi oræ adscriptis, Paulinum vexat, qui hæc sibi adversum metricas leges elabi sivisset. Nempe non solum refert scire, quo stilo, sed etiam qua mente quis aliquid scribat.

Verum de solæcismis redibit sermo, cum dicam de castigando corruptos locos. Magis enim

eo pertinet. Id comittere haud poſſum, quin illos accuſem, qui nimia reverentia Patrum, cum in quodam quid oſtenditur adverſum humanis ſcientiis, prævolant ſtatim ad hoc perfugium, librum illi falſo tribui; quia vir tantus peccatum tale non erat admiſſurus in ſcribendo. Quod toties Scholaſtici fecerunt, non ſine riſu eorum, qui hinc ſumpſerunt occaſionem illudendi omnibus Scholis. Cum enim non poſſent negare, originem vocis male derivatam; cum viderent peccari in Chronologiam, vel Geographiam: nullam Phyſices habitam rationem: in Hiſtoria quid perperam ſumptum; tradi opinionem præjudicatam: negligi Dialecticen: more Rhetorum firmioribus dimiſſis infirma tradi; ſtulto conſilio volebant ab aliis venire; ratione quidem nulla data, quam procul habebant; verum præciſe, quod putarent, in viros, quos Deus magiſtros dediſſet, ignorantiam non cadere. Quaſi vero hac ætate floruiſſent omnes litteræ, neque Critice cum multis aliis jacuiſſet! Quid quod Philoſophi aberrarunt ſæpius in iisdem rebus; et magiſtri Scholarum ipſi haud paulo graviora peccarunt?

Verum de hoc ſatis; addo de Scriptura male citata, quod HIERONYMUS *Commentario in Caput VII. Iſaiæ* monet, etiam Apoſtolos, et Evangeliſtas non verba, ſed ſenſum ſecutos in allegando. Horum imitatione Patres ſignificationi hærent. Atque vel huic interdum ſatis incommodæ. Idque pertinet ad eorum errata graviora, de quibus

 alibi

alibi dicebam. Certe SIXTUS SENENSIS *Libro quinto, et sexto Bibliothecæ sanctæ* ostendit, multos locos a priscis doctoribus perperam intellectos.

Regula XI.

Fabulæ, et res supra fidem, vel modum.

Quod si Fabulæ, et reliqua insunt, quæ ab ingenio, et gravitate scriptoris abhorrent, vel dubium reddunt librum, vel suppostititium arguunt.

Nempe aliud est cespitare, cum lubricum est iter, vel lux dubia; aliud digredi a via, et agere, quod a sana ratione sit prorsus alienum.

Exempla.

Ideo præter DOROTHEUM, quem dixi, damnantur ab omnibus

Liber de Vita Prophetarum S EPIPHANIO *tributus* *:

Proto-Evangelium JACOBI:

Pseudo-Evangelium NICOMEDI:

Libellus de Nativitate B. Mariæ apud Hieronymum:

Opusculum de Transitu B. Mariæ, quod dixerunt MELITONIS SARDENSIS:

ABDIÆ *Babylonii Libri decem de historia certaminis Apostolici*:

Libri duo LINI *Papæ de Passione Petri et Pauli*:

*Acta S.*THECLÆ *Virginis*, quæ extant hodieque:

Libri decem Recognitionum S. CLEMENTIS ROMANI:

Histo-

* PETAVIUS, qui illum edidit, sexcentas hic deprehendit mendaciorum nugas, et Thalmudica commenta.

Hiſtoria paſſionis imaginis Chriſti in Beryto poſt opera ATHANASII:

Fragmenta, quæ S. HILARII PICTAVIENSIS nomen gerunt:

Sermones ad Fratres in Eremo, inter opera AUGUSTINI *:

Vita S. MACARII ROMANI *in Vitis Patrum Rosweidi a pag.* 224.

Oratio S. JOANNIS DAMASCENI *de iis, qui in fide dormierunt* **:

Ut mittam hujus generis ſexcenta alia, præſertim in ſæculis conſequentibus. Sunt autem hic portentoſæ fabulæ, quæ prodant ſummam inopiam judicii: nec niſi per credulitatem anilem poſſint in cujusquam animum irrepere. Quo magis miror, chriſtianum hominem eo veniſſe, ut ſibi perſuaderet, tot nugis a mente Evangelii plane alienis juvari hoc poſſe, Deoque, cui tanta eſt cura veritatis, obſequium præſtari. Niſi ſcirem talia non ſcribi, niſi ab his, qui noſtra ſacra intime noſſent, vi magna impellerer in opinionem, ab hoſtibus chriſtiani nominis ad invidiam con-

L 5 ſtandam

* Quidam non poſſunt bilem tenere, cum legunt eos: et *Cardinalis* BELLARMINUS vehementer ſuccenſuit nebuloni, qui tantum audaciæ ſibi ſumpſit, ut Patri graviſſimo tam indigna affingeret ingenti numero. Auguſtinus, cum eſſet Hipponis Epiſcopus, nondum monachus, petierit Aethiopiam, et ibi monoculos, ſemicanes, aliaque monſtra magis mira ſuis oculis uſurparit etc.!

** Miror, qui abſurda, et falſa legunt, ibi contenta, potuiſſe in mentem admittere, ut ideo Damaſcenum caruiſſe judicio ſcribant, quod in aliis acerrimum oſtendit. *Damaſcenus hæc ſcripſit, ergo non habuit judicandi facultatem.* Ego contra: *Damaſcenus habuit judicandi facultatem, ergo hæc non ſcripſit.*

flandam ficta nequiter, ac hominum ludibrio exposita omnia fuisse. Quamquam et proditorum, ac hæreticorum opera potuerunt hunc in finem procudi; quo gratificarentur superstitioni, et simplicitati illuderent. Nec enim fabulosa tantum, et absurda recitant, sed etiam contraria sacræ historiæ; ut possint videri ad elevandam fidem Evangelicæ narrationis comparata. Certe tam gentiles, quam apostatæ *acta Pilati* sincera, quorum meminit JUSTINUS *Martyr*, TERTULLIANUS, EUSEBIUS vel corruperunt impudenter, vel ad horum imitationem, ac formam alia sunt commenti. Et quidem de ducibus hæresum id refert EPIPHANIUS, qui quædam exemplaria usurpaverat suis oculis *. De Ethnicis constat ex EUSEBII *Libro IX. cap.* 5. **. Nam homines illi profani, cum imperium teneret Diocletianus, in odium nominis nostri circumtulerunt acta Pilato tributa; quæ tandem Maximinus Augustus protulit in lucem; jussitque ubivis locorum tam in agris, quam urbibus proponi palam; quo ipsi magistri primarum litterarum hæc sumerent pro dictatis, et puerum memoriæ infigerent. Hi nempe, quando maxime patent fraudibus, assuescebant a teneris pro commento habere Evangelium, ac in compitis clamabant: en quales scurras protulit novissima sectarum!

Regu-

* *Hæresi I num. I.*
** Cum quibus confer, quæ habet *Libro I, cap.* 5.

Regula XII.

Plane ſpurium eſt ſcriptum, quod his contraria docet, quæ in opere indubitato tradit verus auctor. *Doctrina Auctoris menti contraria.*

Non enim habet ſpeciem veri, quod vir prudens, gravis, doctus jam probet quid, jam damnet; quia mutando ſententiam incurreret notam levitatis, tanto turpiorem, quod caderet in eum ſecurum ſui, nec cogitantem: idque in publica luce. Hoc argumento Rufinus utitur, ut conficiat ORIGENIS ſcripta ab hæreticis vitiata eſſe *. Nam virum talem, inquit, quem neque hoſtes inſanum dicant, toties, et iisdem in ſcriptis ſibi contraria non fuiſſe docturum. Non me latet, homines eſſe nos, qui humani nihil vel a ſe, vel ab aliis debent alienum putare. Non enim conſtamus nobis. Diſcedimus ab his, quæ ſenſimus, nobiſcum ipſi pugnamus: non ſolum non cohærentia interdum dicentes, verum maxime diſparata. Nempe et aliter afficimur, et priorum non recordamur. Neque raro evenit, ut ſcriptor a ſe ipſo abiret; quia in litteris proceſſu facto oculatior evaſit. Ubi non eſt dedecori tradere meliora, atque hæc evertere, quæ olim imprudens conſtruxeris. Nam *falſam ſententiam nunquam tenere, prima laus eſt*; *ſecunda mutare*; ut habet Auguſtinus **. Atque ſic ipſe fecit, proficiendo ſcribens,

* *In Apologia Origenis pagina mihi* 194.
** *Libro III. contra Creſconium cap.* 3.

bens, et ſcribendo proficiens. Cum enim in libris prioribus quædam diverſa ab his eſſent, quæ docuit ſenior, retractavit illa, vel refinxit de induſtria. Quod vides in *Libris Retractationum*, quæ erunt perenne monumentum tam candoris, quam prudentiæ apud doctorem, qui aliunde præter veritatem propoſitum non habuit in tanta gloria litterarum. Sed nempe hoc ipſo, quod quis repudiat priorem mentem, idque ſcripto facit, jam nihil relinquit dubii, ſe eſſe auctorem utriusque ſcripti, in quo oppoſita leguntur. Atque in eum modum lex firma conſiſtit, quam tulimus; et quæ illi evertendæ ſunt allata, non poſſunt homines alios, quam leves concernere, aut malos: qui ſibi indulgent, vel volunt alios pervertere, quando novæ ſententiæ indicio nullo dato penſi nil habent eodem ore jam frigida proflare jam calida; modo ſeorſim imaginem veritatis præferant, faciantque ad fallendum incautos.

Si alios quis profert vel polygraphi ſunt, librorum multorum parentes, qui licet memoria valent, tamen hanc onerant genere vario litterarum: vel ardore diſputationis abrepti, qui per ſpem victoriæ, ſtudiumve elabendi aſſumunt obvia, parumque expenſa: vel denique qui nolint opuſculi auctores haberi, quod ſcribunt. Nam hoc facit doloſe aſpergere pugnantia cum libris prioribus; quo alter majore fiducia tribuatur diverſo auctori.

Sed

Sed ut sint hæc verissima, ac e medio sumantur, in hos non cadunt, de quibus sermo fuit, studiosos sapientiæ, deditos virtuti, qui sciunt veritati pretium ponere: neque habent domesticas rationes fingendi. Ratum sit ergo, contrarias opiniones, aut doctrinas suppositionem arguere; quod nunc exemplis declaratum eo.

Exempla.

S. JUSTINUS *Martyr in Dialogo cum Tryphone,* quem nemo nescit illius esse, colloquentem Jacobo Angelum statuit Deum ipsum fuisse; contra *in Quæstionibus ad Orthodoxos, quæstione* 142. diserte ait, non aliter, quam ob personam, vicesque gestas, posse Deum vocari, qui Patriarchæ apparuisset.

ORIGENES *Libro IV. Periarchon cap.* I. docet, Christum anno unico, mensibus paucis docuisse; at illo *Commentario in Jobum*, aliunde dubio, *Tomo II. pagina mihi* 28. affirmat, annis tribus, cum dimidio id esse factum.

Epistola AMBROSIO adscripta, *de Inventione Corporum Gervasii et Protasii* rem aliter narrat, quam ejus *Sermo* sincerus *de hoc argumento.* Ergo habet alium auctorem.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, cui tribuunt *Homilias in Leviticum*, habet multa de animabus ante existentibus: negatque supplicia impiorum fine carere: quæque sunt alia ejus generis Origeniana. Tamen post Hieronymum non est alius

scripto-

ſcriptorum veterum, qui dogmata Origenis impugnarit acrius, quam hic antiſtes. Nequeunt ergo ejus eſſe dictæ Homiliæ; ſed ſunt ex Origene, aut etiam aliis collectæ. Rufinus, ut multa illius, latinas fecit diu ante, quam ſcribere Cyrillus poſſet; imo ex *ſeptima* deſumi poteſt, in Eccleſia Cæſareæ ab ipſo Origene dictas. In eodem opere meminit aliorum ſuorum ſcriptorum.

Compertum eſt, quam fuerit alienus S. GELASIUS ab hæreſi Pelagiana; nam et ſcripſit contra illam; nihilo ſecius ejus nomine ferebantur *Libri XIV. Expoſitionum in Epiſtolas Paulinas,* quæ hodie extant, ac certo ſunt Pelagii, etſi purgati a ſordibus ejus manu Caſſiodori; quod contendit clariſſimus *Garnerius Appendice ad Diſſertationem VI. Parte I. Operum Marii Mercatoris pag.* 367. Ait autem Caſſiodorus *, *ſubtiliſſimas quidem et breviſſimas, ſed erroris tamen Pelagiani venenis infectas, in cunctorum manibus ita celebres habitas fuiſſe, ut eas a S. Gelaſio Papa urbis Romæ doctiſſimi viri ſtudio dicerent fuiſſe conſcriptas; quod ſolent facere, qui res vitioſas cupiunt glorioſi nominis auctoritate defendere.*

S. THEODORO CANTUARIENSI adſcribitur *Liber Pœnitentialis*; cujus *capite* 11. *apud Petitum;* 116 *apud Dacherium* dicitur: *Cujus uxor fornicata, liceat eam dimittere, et alteram accipere; mulieri non licet fornicantem alium accipere.* Quod aperte repugnat *Canoni X. Concilio Herefordienſis*, cui *anno* 673. præſedit:

* *Capite VIII. de Inſtitutione divinarum litterarum.*

sedit: *Nulli liceat nisi legitimum habere connubium: nullus incæstum faciat: nullus conjugem propriam, nisi ut sanctum Evangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quodsi quispiam propriam expulerit conjugem, legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, vel propriæ reconcilietur conjugi.*

Regula XIII.

Si in quibusdam manuscriptis codicibus sunt libri, capita, epistolæ pauciores, quam in aliis, non sequitur, inde cetera per fraudem adjecta. Contra si operi ad calcem quid subjicitur, vel ejus initio ponitur, cum hoc minus connexum, suspectumve; standum testimonio vetustorum librorum, in quibus omittuntur. *Plures, vel pauciores libri, Epistolæ capita etc.*

Ratio prioris est, quia poterant multa accidere, quæ has partes a toto abstraherent: et fors, dum reliqua exscribuntur, hæc nondum vulgata erant.

Exemplum.

In hanc legem peccat Caveus *Prolegomenis ad suam Historiam litterariam scriptorum Ecclesiasticorum.* Nam queritur ibi graviter de numero tractatuum, sermonum, epistolarum Gregorii Magni; qui esset major in Vaticana editione, quam in prioribus; certe in omnibus codicibus Angliæ *centum, et quadraginta* harum litterarum desiderari. Ut enim peccarint Romani (quis enim tum non peccavit in edendo?) ut inquam peccarint, quod titulos

titulos Codicum, unde nova prolata ſunt, non adſcripſerunt: vix ullam editionem ſcio, cui nihil acceſſerit ex codicibus aliis, Quam multa ATHANASIO, NAZIANZENO, CHRYSOSTOMO, AUGUSTINO, LEONI, THEODORETO, DAMASCENO, quam multa aliis vel memoria parentum, vel in oculis noſtris addita, quæ nemo non ſinceris annumerat?

Ratio partis alterius eſt; quia facile quid aſſuitur ob cognationem argumenti, vel ad operis complementum. Maxime vero prœmia, quæ libri notitiam præbent, vel ſubeunt vicem argumenti.

Exempla.

Libro TERTULLIANI *de Præſcriptionibus adverſum hæreticos* ſubjectus *index Hæreſum* deeſt in variis codicibus: neque in perfectiſſimo, ac vetuſtiſſimo *Agobardi* reperitur. Inde factum rectiſſime, ut hunc illi abjudicarent.

Librum Teſtimoniorum adverſus Judæos quidam negant GREGORII NYSSENI eſſe; quod ad finem occurrant quædam S. Chryſoſtomi. Nempe ſolum latine emiſſus *ex Sifanii interpetatione*, appendicem habebat, quem *in codice Vaticano* non extare Zacagnius oſtendit.

Collectio Canonum S. ANSELMO LUCENSI ablata; quod laudet *Decreta Urbani II.* poſterioris. Sed *in Codice Vaticano* hoc non habetur. Unde patet, id operis Anſelmo vindicatum a *Codice Barberino ſæculi tertii et decimi*, fuiſſe a quodam alio continuatum.

Regu-

Regula XIV.

Si quis veterum ex scripto alterius allegat locum, qui hodie frustra quæritur, cave putes, hac de causa suppositiitium illum esse. *Absentia loci ab alio vetere citati.*

Nam 1. ille potuit errore, vel ignorantia nominare alium auctorem.

2. Fors liber ille, ut nunc habetur, non est integer.

Exempla.

Quod in SOZOMENO videmus; cujus *Historiam*, si quis vocaret in suspicionem, quod apud *Gregorium magnum Libro VI. Registri Epistola* 31. auctor culpetur ob Theodorum Mopsvestenum celebratum; cum tamen hæc laus nuspiam insit, næ ille vehementer aberraret. Ait Gregorius: ab Apostolica Sede hunc *non recipi; quoniam multa mentiretur, et Theodorum Mopsvestiæ nimium laudaret, atque usque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhiberet.* Ex quo nonnulli colligunt, non quidem confictum Sozomenum, sed Gregorium memoria lapsum, ut THEODORETO Theodorum substitueret. Verum hi alienum errorem cantantes, haud paulo graviorem ipsi incurrerunt. Præterquam enim, quod librorum Theodoreti fuit magna auctoritas in Ecclesia, Sozomeni Historia lacunam ingentem habet: et ferme viginti annos desideramus, qui vitio hominum, vel temporum injuriis plane exciderunt. Ergo dicendum fuit, Gregorio magno, qui post

Sozomenum duobus ſæculis vixit, ad manum fuiſſe pleniorem librum, in quo periodus tot annorum etiam tum extabat.

Non minus eſt obvium, quod ſequitur, atque ideo diligenter ab editore notatum: S. Auguſtinus *Libro IV. contra duas Epiſtolas Pelagii cap.* 11. allegat locum ex Ambrosio *de Noë et Arca*, qui ibi non reperitur. Itaque mancum habemus illud opuſculum, auctoris notas certiſſimas gerens.

Regula XV.

Contra talis loci præſentia.

Vides e contrario, cum liber ſuſpicione laborat, habet tamen locum a vetere allegatum, qui mox apparet non immiſſus, ſed cohærens cum ceteris, ſincerum debere exiſtimari.

Exemplum

Illuſtre præbent *Commentarii in Epiſtolas S. Pauli,* qui hactenus Ambroſio ſubjecti fuerunt. Auctor ferebatur Hilarius Diaconus, cui tribui poſſe plures negarunt; quia *in Caput* 3. *Epiſtolæ I. ad Timotheum* de Damaſo Pontifice, ut rectore totius Eccleſiæ loqueretur homo ſchiſmaticus: et *in Caput* 1. *Epiſtolæ II. ad Corinthios* iterationem ſacri fontis damnaret; cum tamen Hilarius magnopere contendiſſet, ut Ariani de integro tingerentur. Verum ex improviſo lis illa loco Auguſtini dirempta eſt; apud quem *Libro IV. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* 4. legitur: *Sic ſanctus Hilarius intelligit, quod ſcriptum eſt:* In quo omnes pec-

cave-

caverunt. *Ait enim*: in quo, id est, in Adam omnes peccaverunt etc. Cum ergo inspecto libro verbis totidem *ad Caput* 5. *Epistolæ ad Romanos* hoc legatur: neque sit alius Hilarius, qui vixerit cum Damaso, præter Pictaviensem, a quo longissime hic abit *; effectum est sane, Hilarii Diaconi esse: quodque habet majus momentum, eundem remisisse nuntium Schismati, ac hæresi. Hoc enim ni fecisset, nunquam ab Augustino nomen sancti relaturus erat. **

Regula XVI.

Etsi in quodam vetere laudante alium ipse locus non extet; modo tituli, ac argumenta legantur: hæcque cum his conveniant, quæ hodie leguntur, talem librum rejicere nequaquam oportet: quidquid alii cornicentur, et conjecturis attentent. *Congruens titulus apud æqualem.*

Quid enim tunc deest ad judicii securitatem?

Exemplum.

Quidam Protestantes in *Homiliis* S. MAXIMI TAURINENSIS reperiunt, quibus offendantur. Itaque sublestas habent, aut prosus omittunt in Indicibus Ecclesiasticorum Scriptorum. His reponam ingenti fiducia, esse auctoris hujus certissimum fœtum; quia *Gennadius Massiliensis*, qui vixit ea-

 dem

* Puta stilo, sententia, usu versionis sacrorum librorum.
** Notandum tamen, *Commentarium in* 10. *priora capita Epistolæ ad Hebræos* ex Chrysostomo, et Hieronymo contextum esse, ceterisque assutum.

dem ætate, non ſolum laudat Homilias Maximi, ſed etiam pene omnes recenſet in *Catalogo illuſtrium virorum.* Atque hujus ſententiæ multi ſunt, qui ſectam eandem cum ſuperioribus profitentur.

Regula XVII.

Silentium veterum. *Silentium omnium æqualium, imo ſequentium pone, qui libri, quem poterant in ſuos uſus vertere, non faciunt mentionem, diſertius omni ſermone teſtatur, ſuppoſititium illum, atque confictum eſſe.*

Nam adſunt omnes rationes, cur ejus meminiſſe; nulla, cur eum præterire deberent.

Exempla.

Hac de cauſa Euſebius Cæſarienſis varia rejecit, quæ ferebantur Clementis, ac Apoſtolorum eſſe.

Ex operibus Dionysii Areopagitæ, ſi haberent eum auctorem, poterant multa decidi adverſum hæreſes priorum ſæculorum; tamen nunquam laudati ſunt ſive a Gennadio, ſive Hieronymo, ſive Eusebio, curioſiſſimis harum rerum. Sed nec alius antiquorum, tanti doctoris meminit; donec *anno* 533. *in Collatione Catholicorum cum Severianis, Conſtantinopoli habita*, produceretur ab hæreticis; quibus illico Hypatius, Epheſinus Epiſcopus, ſuſpicionem falſi regeſſit.

Ejusdem ſunt furfuris *Epiſtola* Mariæ *ad Meſſanenſes.*

Acta

Acta Synodi SINUESSANÆ 306. *circiter Episcoporum in causa Marcellini Papæ.*

Acta Synodi ROMANÆ 280. *Episcoporum a Sylvestro habita anno* 324.

Acta multorum MARTYRUM; nominatim S. CATHARINÆ VIRGINIS,

Epistolæ DECRETALES *veterum Pontificum usque ad Siricium*, primum medio Sæculo IX. procusæ.

Acta Baptismi, et Donationis CONSTANTINI *magni.*

Origo Fratrum CARMELITARUM apud ædiculam Mariæ viventi exstructam,

Fabula de BELISARIO, oculis orbato, ac mendicante, quam primus narravit Joannes Tzetzetes, annis sexcentis posterior,

Fabula altera, multo plausibilior, *de* JOANNA PAPISSA, quam ante Martinum Polonum, ultra quatuor secula juniorem, nemo norat.

Ejusque generis non tot quin plura, quæ piget hic cumulare. Solos addo *Libros VI. de Sacramentis*, qui hodieque a nonnullis AMBROSII feruntur; quantumvis Sæculo octavo, ac nono primum hujus nomine laudentur.

Regula XVIII.

Secus est, si æquales scriptores ejusmodi librum in cumulo multorum aliorum librorum, sive in catalogis, quos vocant, illustrium virorum omisissent. **Nominatim in Scriptorum catalogis.**

Nam typis nondum repertis facile fuit, ut five memoria, five ipfum exemplar libri diligentiam effugeret.

Exempla.

Nomen, et *opufcula duo* ATHENAGORAE, quæ debebat argumentum, et ætas reducere in memoriam, nec Hieronymus refert, nec Eufebius; funt tamen extra dubium, atque ab omnibus Criticis admittuntur; quia jam Sæculo III. eorum Methodius meminit.

Idipfum dicas de MARIO MERCATORE, quem filet Gennadius Maffilienfis, imo omnes.

Regula XIX.

In indicibus confectis ab Auctore, vel familiari.

Quod fi ipfi auctores, eorumve familiares, fcriptorum Indicem texuerunt, et de quodam non commemorant, actum eft de ejus germanitate.

Exemplum

Dedi fupra poft Regulam II. ex S. GREGORIO TURONENSI, qui duobus ante obitum annis recenfens libros fuos, mentionem nullam facit illius *de feptem Dormientibus*.

Regula XX.

In indicibus verum numerofis.

Etfi index ab ipfo auctore, hujusve familiari venit, cum librorum eft magnus numerus, qui ibi omittitur, non ideo debet ad fpurios allegari.

Potuit enim accidere, ut tamen in copia unus alterve memoriam fugeret; quod fæpe fit, cum vel noftra

noſtra vel aliorum recitamus, compertiſſima quidem, ſed tamen numeroſa.

Exempla.

S. AUGUSTINUS *in Libris Retractationum* ſilet de quibusdam ſuorum librorum; quos certo notaſſet, ſi horum recordatio animum ſubiſſet. Tantum eſt agmen eorum; ut ſit difficile ſingulorum reminiſci. Quis vero perſuadeat ſibi, omnium exempla ad manus fuiſſe, cum conficeret eorum recenſionem?

S. POSSIDIUS volebat dare curatiſſimum *indicem Auguſtini operum*: et videtur, ut diſcipulus et amicus auctoris, præ omnibus ad id factus fuiſſe. Tamen ob hanc ipſam multitudinem, varietatem, confuſionem, præteriit quædam; ut adeo ex ejus recenſione vix extundas, librum omiſſum debere rejici. Contra facit apertam fidem, eſſe omnes ſinceros, quotquot enumerat.

Regula XXI.

Si liber inuſitatus, quemque minime expectares, tribuitur auctori, cujus eo tranſcripta ſunt quædam ex alio ipſius ſincero libro, dubitare non licet; non opinione ductum, lapſumve errore, qui ei alterum ſuppoſuit, ſed uſum capitali fraude poſteros ludificare voluiſſe.

Liber inexpectatus et ipſius quidem ſcriptoris ſermone refertus, verum mutuato ex hujus alio opuſculo.

Nemo enim ſua tranſcribit, quæ in omnium manibus verſantur, præſertim in ejusmodi argumento; cum cetera, quibus adjiciuntur, invidiam habent, et ſententiam diverſam a mente priori.

 Quod

Quod si quis faceret, admoneret certe, se alibi hæc tractasse: ac ideo iisdem verbis repetere hic statuisse.

Exemplum.

Beato PETRO DAMIANI, qui Sedis Apostolicæ studiosissimus fuit, ejusque jura vindicavit quamplurimis locis, Protestantes tribuunt *Libellum de correctione Papæ et Episcopi*: eumque velut germanum fœtum hujus antistitis ediderunt *Argentorati anno* 1562. Eundem *Melchior Goldastus*, imposturæ multiplicis reus, *Tomo II. Monarchiæ* inseruit, non solum in prima, verum etiam secunda editione. Fraus autem in eo est, quod quædam ex *duodecima Epistola Libri I.* resecta torquerent in malam partem. Quod notarunt plures, etiam ex Protestantibus. Quos inter solum memorabo *Joannem Albertum Fabricium in Bibliotheca mediæ, et infimæ Latinitatis Vol. II. pag.* 22.

Regula XXII.

Opus auctoris rudis, ac expertis litterarum, tamen doctum.

Si ullum adest ex tot indiciis, quæ arguant suppositionem, habetur tamen, scriptorem fuisse indoctum, bonisque artibus destitutum, illi male tribuitur scriptum pro ætate elegans, vel doctrina refertum.

Neque dicas, potuisse ex ejus voluntate ab alio conscribi. Si enim ab alio fuit conscriptum, hujus est utique, non illius.

Exemplum.

Habemus quasdam *Regulas*, ac etiam *Epistolas* Sanctorum, qui coetus religiosos instituerunt.

Cum

Cum autem fuerint expertes litterarum, jure quis dicat, quod opera aliorum sint usi ad has scribendas. In lubrico versor, et provoco invidiam; quare consulto nominibus abstinebo, id unum professus, me illi non posse tribuere scriptionem, quem scio nec legere illam potuisse. Porro recurrere ad prodigia, quorum nulla necessitas, nulla ratio, neminem decet, præsertim Criticum. Quis enim ignorat, ad talia scribenda vel a peritis subin librarios adhiberi? Quanto magis ab eo, qui scripturæ nullum usum habebat? Fateor, hac de caussa mihi suspectas fuisse *Epistolas* ipsius ANTONII *Abbatis*. Sic enim mecum reputabam: ejus doctrina non humana, verum divina fuit; quia rudis scribendi, cum annos viginti egisset in secessu, ut, non dico chartam, sed nec hominem videret; nolebat alio libro uti, quam rerum aspectabili natura. In hac legebat divinas dotes, litteris tam grandibus scriptas, ut solatio codicum, sine quibus solitarii vivere haud possunt, facillime careret. Videbatur ergo mihi, cuidam alteri mandasse provinciam scribendi sive *ad Monachos*, sive *ad Imperatorem Constantinum*. Sed cum expenderem, quod de his litteris ait *Hieronymus*, Apostolici sensus, sermonisque plenas, linguaque Ægyptia exaratas, mutavi mentem; plane persuasus, eum, qui suos aliosque sit publice allocutus non semel, in promptu habuisse, quæ ad verbum dictaret vernaculo sermone.

Aliter de ceteris ſentio. Nempe cæcis æſtimatoribus non erat ſatis vel imperio, vel fama virtutum florere eos; ni adderent eruditionem, libroſque ſub nomine glorioſo circumferrent ad augendam celebritatem, cauſæque ſuæ præſidium quærendum Et quid optatius potuit accidere, ſive olim librariis, ſive nunc bibliopolis, quam ut merce tam proba inducerent hiantem emptorem? Sed non æque felix, fauſtumque hoc fuit reipublicæ litterariæ; imo et ſacræ; quia permiſtio ſcriptorum non ſolum impoſuit, fucumque fecit hominibus; ſed etiam lites graviſſimas ſuſcitavit, dando patrocinium privatis opinionibus; ne dicam tanto latius palmares errores hæreſesque proferendo.

Regula XXIII.

Liber indoctus auctoris docti.

Contra liber indoctus arguit alium ſcriptorem, quam cujus doctrina in comperto eſt. * *Quis enim credat, qui fudit alia præclara, illeviſſe quædam chartis indigna lectu?*

Exem-

---

* De libro *indocto* dixi, non indiſerto, non inornato, vel impolito. Præterquam enim quod ad ſtilum id pertinet, de quo ſupra præcepi, potuit vir valde litteratus, et, ſi velis, etiam eloquens, in quodam opere verborum rationem nullam habere, ſed ſpectare hoc unum, ut a plebecula plenius perciperetur. Ita tam AUGUSTINUM feciſſe, quam alios, non ſemel oſtendi, obiter *hoc ipſo capite Regula X*, cum eſſet ſermo de ſolæciſmis, vitiiſque in dicendo apud claros ſcriptores. Sed etiam non raro accidit, ut quædam veniant in lucem, quæ auctor ſcripſit quidem, ſed ſuos in uſus, nequaquam paſſurus exire in publicum, niſi recognita, curisque ſecundis in morem reliquorum retractata.

Exempla.

Multa non ſolum infantia, ſed putida quoque, et boni ſenſus inania, quæ nec in diſcipulo ferres patienter, tributa ſunt ſummis hominibus. Inde tot *Appendices operum*, quæ niſi obtento ſpecioſo nomine nemo noſtrum ſuſtuliſſet. Sæpe de rei indignitate queritur Eraſmus, qui fuit inter primos editores ſcriptorum veterum. Dicebat autem, debere pertinaciæ imperitorum plurimum dari in edendo: et ſibi magno conſtare alienam ſtultitiam. *Ad calcem operum* TERTULLIANI, ORIGENIS, ATHANASII, HIERONYMI, AUGUSTINI, DAMASCENI, BERNARDI occurrunt, quorum nullam paginam ſine ſtomacho percurras. Vide verbi cauſa *Altercationem Athanaſii contra Arium in Concilio Nicæno*; ſat ſcio, dices, hanc vitia, quæ ſunt ſeorſim in ſingulis diſputationibus, ſimul complecti *. Maxime vero Auguſtini hoc fatum fuit. Ut enim taceam de Libris, *Sermonibus* ſunt fæces ſubjectæ, quæ poſſent apud ignaros exiſtimationem ejus valde deterere. Quod vel ſoli *Sermones ad Fratres in Eremo*, de quibus dixi, ſatis, ſuperque teſtantur. Nam in his vix quidquam oſtendas, quod non ſit ex æquo infans, frontisque perfrictæ, ut debeat communi ſenſu carere, qui putet eſſe tanti doctoris. Legat in eo, qui poteſt, Auguſtinum

* Eſt *Vigilii Tapſenſis*, qui auctam poſt, neque multo meliorem iterum emiſit, inſcripſitque *Dialogos ſive Altercationes tres ab Athanaſio contra Arium, Sabellium, et Photinum coram Probo judice habitas.*

ſtinum jam congreſſum cum Ario, jam Tribunis Romæ præfectum: Hieronymum Cardinalem S. Laurentii: cadaver Cæſaris, quod eſt quatuor ante ſæculis palam crematum, tum maxime fluere tabo, et vermibus ſcatere: quæque alia ſunt hujus generis, in quibus omnes rationes et Hiſtoriæ, et temporum, et naturæ ex æquo turbantur.

Liber de illibata Virginitate ſanctæ ac glorioſæ Genitricis Dei Mariæ contra Infideles (loquor de illo, quem hodie oſtendunt, et Sancti Ildephonsi ferunt) quid eſt aliud, quam torrens inanium ſynonimorum, ab eruditione et conſilio magni antiſtitis tam alienus, ut mirer vehementer, pro penſo Eccleſiaſticarum precum ad feſtum diem *Expectati partus virginei* petitas hinc Lectiones; cum tot ſuppeterent aliæ ex Patribus Græcis, ac Latinis, ſane graves, ac luculentæ.

Repete hic etiam, quæ *Regula I. hujus capitis de Decreto* Gelasii docebam. Nam doctrina, et ſapientia tam ipſius, quam Synodi frequentis indignum videtur.

Regula XXIV.

Liber longe infra veterum commendationem.

Si quis liber ſit valde apud veteres laudatus, nunc autem in eo eſt nihil, quod poſſit conceptam exiſtimationem tueri, ſub titulo eodem alienus obtruditur. Intelligo autem nomine veterum non quoscunque, verum illos, qui poterant idonei judices eſſe, ac ejus de pretio tam libere, quam vere pronuntiare.

Ratio

Ratio est eadem, quæ Regulæ superioris; cum hæ laudes æque scriptioni repugnent.

Exempla.

Cum tantæ sint laudes, quibus Libanius, Nazianzenus, Nyssenus, Amphilochius, Ephræm, Ambrosius, Gaudentius Brixiensis, Philostorgius, Sozomenus, Photius Basilii *magni Homilias et Panegyricos* tollunt: hæcque eorum commendatio exacte respondeat recentiorum judiciis: atque omnibus chartis, quæ esse ejus certo constat, magnopere firmatur; nil dubitem *Homiliam* verbi causa *in Lacizis dictam*, *Homiliam in Pœnitentiam*, *Homiliam adversus eos, qui calumniantur, quod tres Deos colamus*; *Homiliam de libero arbitrio*, *Homiliam in illud:* Ne dederis somnum oculis tuis, *Homiliam 2. et 3. de Jejunio*: denique duas, quarum una *in humanam Christi generationem*; altera *de Spiritu sancto est*, cuicunque magis tribuere. Nec enim sunt pares ceteris; imo multum ab his distant sive rem, sive verba spectes: certe cum fama, et præconiis quæ dixi, minime consentiunt.

Ob idipsum, quamquam non solum, quibusdam spurii, plerisque dubii sunt *duo libri posteriores* ejusdem *in Eunomium.* Nec injuria id fieri omnes dabunt, qui hos cum tribus prioribus contenderint.

S. Antonio Patavino tribuunt *Sermones* tam succi expertes, nullo excepto, ut si ille non aliter dixit, operæ pretium haud fuerit, ut causa audien-

audiendi ejus fierent concurſus ingentes tota Italia, novusque orator in ore omnium verſaretur. Sed non ſcripſit, repones, quemadmodum dixerat; ſunt enim nervi carne ſoluti, ſummave capita dicendorum. Sed præterquam quod mihi ægre perſuadeo, dimiſſis optimis, eum ſolum jejuniora mandaſſe chartis, hac ipſa de cauſa quod aliter dixit ad populum, non ſunt ſermones ejus. Nam de hoc nunc quærebatur.

Clauſula harum Regularum.

Atque hæ ſunt præcipuæ leges ad opera ſuppoſititia a ſinceris diſtinguenda. Quibus addo, uſu ipſo ac lectione veterum curate editorum longe plura ab his diſci, quos inſtituimus. Cum ſæculo ſuperiori vergente Garnerius MERCATOREM educeret e tenebris, cognitum ſtatim, quædam opera, diu tributa Patribus, habere auctores, quorum duos nequidem per ſuſpicionem quis attigiſſet; videlicet *Sermonem* CHRYSOSTOMI *in verba Evangelica*: Si filius Dei es, mitte te deorſum, a Neſtorio hæretico venire: *Expoſitionem Paulinarum*, jam Gelaſio, jam Hieronymo adſcriptam, eſſe PELAGII: denique libros, verius *Sermones adverſum varias hæreſum propoſitiones*, qui S. Athanaſii habebantur, proſcriptos ab EUTHERIO Neſtoriano.

Quid quod *Concilium* ANTIOCHENUM, per cauſam Encæniorum celebratum a Julio I. vindicatum eſt: et cum olim velut ARIANUM traductum eſſet, a Schelſtratio ſic deſcriptum, ut debeat

beat legitimis accenseri? * Regulæ quidem omnia complectuntur; sed istarum adminiculo non possunt singula expendi; ne institutio accrescat nimis, oneretque magis, quam levet tyrones.

Porro ex operosa tractatione Supposititiorum nemo debet in hanc cogitationem venire, quidquid spectat ad hunc censum, abjici, proque nihilo putari debere. Qui esset gravissimus error, nobisque auferret monumenta non auro contra cariora. Nam in tanta turba jam inutilium, jam levium scriptorum quædam extant germanis haud inferiora.

Quædam supposititia lectu dignissima, quæ minime decet præterire.

S. CYPRIANO tributi *Libri de Spectaculis*, *de Pudicitia*, *de Singularitate Clericorum*, præterquam quod sunt valde vetusti, ejus sinceris parum concedunt.

Libri de Vocatione omnium Gentium, *Epistola ad Demetriadem*, *de lapsu virginis consecratæ*; quia sunt perperam Ambrosio adscripti, inde nihil amittunt.

Inter Opuscula HIERONYMO supposita reperiuntur quædam prima serie, ** minime spernenda; in quibus nec nitorem quis desideret, nec morum doctrinam.

Apud AUGUSTINUM, cui raro quid boni suppositum fuit, tollendæ sunt *Tomo III. Quæstiones veteris et novi Testamenti*, quæ censentur a plerisque

* *Commentario ad Sacrum Antiochenum Concilium.* Ostendit autem, primum a dimisso Concilio germane coactum Arianum, a quo damnatus, pulsusque sit Athanasius.

** Sive horum, quorum auctores ignorantur.

que Hilarii Diaconi esse *Tomo IV.* Opusculum *de Fide ad Petrum*, quod pertinet ad S. Fulgentium. *Tomo IX.* in Appendice varia sunt, quæ ad historiam Donatistarum illustrandam apprime faciant. *Tomo X.* iterum quædam proborum auctorum sunt.

Prospero tributum *Carmen de Providentia* habet magnam commendationem.

Apud Anselmum sunt quædam Appendices probæ notæ; quædam exigui pretii.

Bernardo adscripserunt quisquilias plurimas; pauca laudanda, ut *Declamationes, et duo opuscula Guilielmi Abbatis S. Theodorici.*

Apud Græcos *Epistola ad Diognetum inter opera* S. Justini præclara est: habetque multorum judicio auctorem longe antiquiorem hoc martyre.

Athanasio multa sunt indigna, quæ ejus ferebantur. Sunt tamen, in quibus jam nervi, jam acumen, jam nitor sit, ut editores Maurini monuerunt.

Basilio *magno* adjectus *liber de Virginitate*, et quidam *Sermones*; quæ laudem singula merentur. *Sermo* autem *in Barlaamum*, prorsus insignis, videtur Chrysostomi.

Nazianzeno *Tractatus de fide Nicæna, et Metaphrasis in Ecclesiasten etc.* fuerunt addita; atque hæc sunt bonorum auctorum.

Nysseno plura, egregia prorsus, affinxerunt.

Asterio *Homilias septem in Psalmos*, lectu plane dignas.

Chry-

Chrysostomo subjecta sunt plurima bona; mala pauca.

Nili quædam permutata, sed utrinque proba cum probis.

Damasceno vix quidquam dignius assuerunt.

Sed jam *V. Capite* plura laudavimus ex dubiis, et supposititiis. Nunc cetera prosequimur, de quibus Critico judicandum est, postquam coepit monumenta veterum versare diligentius.

Caput X.

Cognitio operum verorum quidem, sed corruptorum.

Dixi supra *initio prioris capitis*, jam inde ab Apostolis defuisse nunquam falsarios, qui claris hominibus libros supponerent; nunc contendo, repertos semper, qui sive iisdem, sive aliis de causis injicerent his manus violentas, eosque jam augerent, jam truncarent, jam interpolarent pro libitu. Atque adversum temeritatem istam non debeo minus præmunire homines, qui accedunt ad propositam antiquorum lectionem. Sit igitur ad fraudem discernendam

Regula I.

Si quis locus scriptoris ab æquali exceptus, in illo non amplius exstat, manifestum indicium est, cum cetera sunt inviolata, consequenti tempore quavis de causa omissum hunc esse. Quamquam et de aliis omissis gravissima tunc oritur suspicio. *Absentia loci a vetere citati.*

N Ratio

Ratio eſt, quia tempore illo, quo vixit auctor, non potuit ex libro, qui erat in omnium manibus, palam quid allegari, quod in eo non eſſet contentum.

Exempla

Duo ſelegi, eaque illuſtria. Primum exhibet S. HIERONYMUS *in Commentario ad Caput I. Eccleſiaſtis*, ubi hæc de Terentii quadam ſententia habet, cum mente ſcriptoris ſacri valde conjuncta: *Comicus ait*: Nihil eſt dictum, quod non ſit dictum prius. *Unde et præceptor meus Donatus, cum ipſum verſiculum exponeret:* Pereant, inquit, qui ante nos noſtra dixerunt! Ex iſtis Hieronymi verbis concludunt multi Eruditorum, *Commentarium Donati in Terentium* non quidem ſpurium, verum, ut nunc eſt, plane mutilum eſſe. Cujus rei habentur et aliæ rationes; mihi hæc pro omnibus eſt. Cur enim locus palmaris, a ſcriptoris diſcipulo laudatus, nusquam compareat?

Specimen alterum e CASSIODORO petam. Compertum eſt, *Commentarios in Paulinas Epiſtolas*, de quibus ſupra *Capite VII. Regula* 12. dixi, eſſe easdem, quas olim PELAGIUS *Hæreticus* ſcripſit: et Auguſtinus *Libro III. de Peccatorum meritis, et remiſſione capitibus pluribus:* item *Libro de geſtis contra Pelagium cap.* 16. commemorat. Nihilominus quæ hic inde exſcripſit, non omnia videmus extare. Quod movit clariſſ. virum, JACOBUM USSERIUM, ut judicaret, ex Pelagio, Hieronymo, Primaſio collectos. Sed contrarium a Gerardo Joan-

Joanne Vossio *Historiæ Pelagianæ Libro I. cap.* 4. et illustrius a Joanne Garnerio *in Appendice ad Dissertationem de scriptis pro hæresi Pelagiana cap.* 2. ostensum est. Nempe Cassiodorus *cap.* 8. *Institutionis divinarum Litterarum* aperte profitetur, se ex *Commentariis in Epistolam ad Romanos* sustulisse plura, quæ hæretica essent: cetera relinquere discipulis purganda, quo opus cetera insigne citra periculum legi possit. Sapienter sane; quia est inter præcipua, quæ habemus in Novum Testamentum, si Richardo Simoni fides constat.

Est ergo ingentis usus ad scripta veterum judicanda, quod extant eorum loci nonnullis in aliis æqualium scriptis. Quod si quidam notassent, venturi huc non erant, ut ex ingenio restituerent opusculum perditum, quin prius in antiquitate vestigassent residua fragmenta, hisque sua aptassent ad fucum faciendum. Certe fallacia post hanc cautionem detegi ægerrime potuisset. *

 Regu-

* Cursim hæc moneo, decimo sexto sæculo *Consolationem* TULLII perditam lucem vidisse. Quam cum multi sinceram ducerent, darentque ingentes plausus, paulatim est deprehensum, librum totum Caroli Sigonii esse, qui imitatione Tulliana literatis illudere, auramque popularem voluerit aucupari. Quod si fraus aliunde non patuisset, hoc uno convictus tenebatur Sigonius, quod quædam insignia *fragmenta* Consolationis *apud Lactantium* leguntur. Hæc autem quia is nescivit (secus aptissime inserturus) præclusit sibi locum evadendi: suisque laqueis irretitus ipse, captusque est. Ego qui nunquam affero profana exempla, adhibeo istud extra ordinem, quia ceteris exstantius est: et Consolatio Ciceronis per ipsum usum Lactantii quodammodo christiani juris est facta. Tam dextre enim iste alter Tullius confessionem Philosophi adhibet ad nostri dogmatis confirmationem, ut humanam sapientiam suismet verbis convincat, et accuset erroris adversum se ipsum commissi. Qui sane non habet aliam, quam turpem, ac ridiculam excusationem.

Regula II.

Alia lectio talis loci, ejusve absentia in manuscriptis.

Si vero locus, imo plures, leguntur aliter apud veteres, quam apud nos, corruptos existima. Idipsum habe, cum locus suspectus habetur in editis tantum, non in scriptis.

Ratio est eadem, quam supra dedi: incurritque in omnium oculos, qui lucem vident.

Exemplum

Memorabile in IGNATII Martyris editione habemus. Fuerunt *Epistolarum* ejus quinque apographa, atque ea prorsus diversa. *Primum* germanum, ab Isaaco Vossio curatum, *ex Codice Mediceo*, qui habuit illarum septem. Hoc præcipui ex Patribus sunt usi in Ignatio allegando. *Secundum* Latinum interpretis vetusti, quod Usserius dedit in lucem. *Tertium*, *quartum* et *quintum* interpolatum varie, auctumque. Cum ergo pro fide editionis Vossianæ stent loci ab Athanasio, Theodoreto, Gelasio Cyziceno prolati, manifeste evincitur, posteriores ab his vitiatas, qui volebant tantum virum suis rationibus aptare. Operæ pretium est in editione Usserii, vel Cotelerii conferre spuria cum incorruptis. Mirabitur lector sive fallaciam, sive temeritatem, qua Patri Apostolico non solum affinxerunt epistolas, de quibus nec cogitavit, sed etiam ejus veris litteris inseruerunt lacinias complures, manuque tam profana, quam aliena periodos integras adjecerunt.

In

In editionibus MARIANI SCOTI *ad annum* 854. memoratur diligenter de muliere Joanna, quæ Sedem Romanam occupasset. Re toties in contentionem adducta, cum odio Pontificis id plurimi crederent, quidam studio veritatis, vel notitia Critices venerunt in cogitationem, vetusta exemplaria excutiendi. Ne unicum quidem repertum, in quo fabulæ vestigium appareret. Quo solo concidit fides totius narrationis: quando quisque vidit, in posterioribus nonnullis interpolatam esse narrationem. Sed maxime hoc patuit, cum in eodem codice, ad cujus normam editiones omnes exactæ erant, videlicet *Francofordensi*, non extaret locus nisi ad marginem: et quidem charactere tam diverso, ut esset extra dubium, non a librario, qui scripsit, verum alio quocunque venire, qui rem ex ingenio commentus erat, vel transscripserat ex codice vitium passo. Idipsum accidit *Chronico* SIGEBERTI GEMBLACENSIS in argumento eodem de hac fœmina. Nam in autographo *Codicis Gemblacensis*, qui cum Auberti Miræi *editione Antwerpiensi* 1608. collatus est, non solum desunt *assumenta Galfridi Monumetensis*, quæ legebantur ante in omnibus editis, verum etiam hæc celebris Tragœdia *. Quod præter Miræum Joannes Molanus, Theologus Lovaniensis, vir integerrimus, ac impense doctus, testimonio oculorum suorum confirmat. Accedunt ex Protestanti-

* Imo et commentum *Privilegii; ab Hadriano I. Pontifice Carolo magno concessi.*

bus ipsis complures, qui volunt, facetias dictas non solum abesse a manuscripto, Gemblaci servato, sed præterea ab aliis, quæ a rerum cognitoribus optima, maximeque vetusta haberentur.

Regula III.

Differentia codicum. *Si in omni retro vetustate non occurrit transcriptus locus: et codices plures in illo variant, vehementer hic debet suspectus esse. Idem est, cum aliqui penitus omittunt. Quare ad fidem codicum res devolvitur, quibus collatis tam ex ætate quam peritia scribendi judicandum est, cui plus deceat deferre.*

Duo sunt autem, quæ codicem manuscriptum præcipue commendent; vetustas, quam dixi tam librarii, quam fides et peritia Critici emendantis. Codex quo antiquior, tanto propius ad ætatem auctoris, usumque linguæ accedit. Nam aqua, canalibus multis derivata, lutulentior fluit. Porro peritia, ac ipsa fides Critici ex eruditione, cura, judicio, candore apparet.

Quamquam, ut loqar ingenue, etiam talis codex incurrit suspicionem, si quando a ceteris valde recedat, possitque dari ratio depravationis, ingenio linguæ, vel stilo scriptoris consentiens.

Exempla.

Affero, quæ maxime rem illustrant.

Quidam loci JOSEPHI in codicibus aliis extant, in aliis minime. Quid ergo? Prorsus vel

Judæi

Judæi hos omiſerunt in odium Evangelii, vel Chriſtiani in gratiam hujus immiſerunt. Re a multis expenſa, tum ultro, citroque diſputatis variis, cum provocaretur ad codices, et inde extundi nil poſſet, Huetius aſſenſu magno putabat, ſtandum auctoritate Origenis, Euſebii et Hieronymi, qui hos locos laudant aperte. Ceteri, cum dicerent, Judæos pro ſtatu rerum ſuarum non potuiſſe exemplaria multa corrumpere, atque græcorum librorum tam incurioſos, quam rudes, fuiſſe, malebant, hos locos ante Origenem aſſutos Joſepho. Alterutrum eligendum eſt! Mihi, quo probe ſciam, religionem haud egere dubiis præſidiis, perinde fuerit, cuicunque parti illa fraus tribuatur. Nam utrumque deteſtor ex æquo; intentus Evangelii commodis, quoties poſſum, non tamen cum diſpendio ejus, quæ debet antiquiſſima eſſe, veritatis. Hujus habeo maximam rationem: hæc locum potiorem apud me ubivis obtinet. Cedat omnis amicitia; cui cum plurimum largiar, iſti negare nil poſſum. Eodem ex capite, quod a Patribus Sybillini libri citantur, apud me pro horum fide nil efficitur. Cum enim certiſſime conſtet, a Criſtianis veteribus eſſe alia ſuppoſita, et mutata, id non derogat ſcriptorum auctoritati, ſi fraudis indicia non adverterunt, vel quadam ſpe utilitatis propoſita diſſimularunt. Unde nec evertitur *Regula*, quam *Capite VII.* primam ſtatui. Quia non tantum petitur ad fidem ſcripto negandam, quantum datur ad faciendam. Boni

debet intregra esse causa; vitiosi suspicio ex quavis incommodo est.

Regula IV.

Imitatio recentioris.

Si in aliquo libro deprehenditur imitatio recentioris, interpolatus est sane, aut non hujus, cujus nomen gerit.

Sic *Epistola* S. CLEMENTIS *Romani ad Corinthios*, quam Patricius Junius *ex Bibliotheca regis Britanniæ anno* 1633. *græce, a latine Oxonii emisit*, judicio Criticorum habetur opus indubitatum. Atqui in hac videmus vestigia clara imitationis quorundam locorum CLEMENTIS *Alexandrini*, longe junioris. Nam cum prior decesserit *anno Christi centesimo*, iste anno *ducentesimo vigesimo secundo* clausit supremum diem. Librarius nempe, cum codicem priorem brevem videret, e re sua esse duxit, si illum quomodocunque extendisset. Ergo ex cognomine scriptore quædam petiit, et *cap.* 46. inter alia versiculum, quem Scripturæ putabat. Rursum duo loca sacra, quæ *Alexandrinus* suo more conjuncta profert, et ipse verbis iisdem conjungit. Quam vero fidem superet, ut duo scriptores intervallo tanto temporum ac regionum casu Scripturam mutarent, non simili verum æquali, ac ipsissima ratione, etiam illi vident, qui Criticæ arti nunquam litarunt. Malim credere, quamvis et hoc incredibile videtur, Clementem posteriorem Evangelia allegasse ex superiori. Superest, ut, quidquid extat *apud utrumque Clementem*

mentem conceptum iisdem ſive ſententiis ſive verbis, ſi *Alexandrinus* Romanum non laudat diſerte, ſumptum ex Alexandrino habeatur. Nam certum eſt e diverſo, in hoc multa eſſe ex *Romano* hauſta, præſertim *Libro IV. Stromatum.* Ut ergo germana ſit Epiſtola prioris, interpolatam tamen auctamque conſtat. Quo ipſo habes, quam mira audacia hoc ſumerent ſibi ſcribæ, ut ſententias proferrent latius in exemplari, et carius venderent; quando hoc auſi ſunt in graviſſima Epiſtola, ab Irenæo, Euſebio, Hieronymo, Photio laudata mirifice, habitaque tanto pretio apud majores, ut in ſacris conventibus eodem modo, quo libri divini, recitaretur.

Regula V.

Ubi nota ſunt partium ſtudia, mutatio in codicibus ſtat contra hos, qui ſe ſuſpectos magis reddiderunt. Unde hic maxime provocandum ad exemplarium vetuſtatem. *Studia partium ſæpe ſtant pro corruptela.*

Eſt hoc e media Philoſophia, ac hominum cognitione deſumptum principium; cujus cum ſint innumera exempla, pauciſſimis pro more contentus ero.

Exempla.

Rufini interpretationes nullo diſcrimine ſuſpicionem præbent; quod ſciam aliunde, quantum voluerit ſibi licere in laboribus alienis. Ut in ſolis Origenianis ſiſtam, tam merito, quam eleganter de hoc queritur clariſſimus Huetius *Orige-*

nianorum Libro I. cap. 1. §. 3. *non alium quemquam Origeni tantum perfidia ſua, et temeritate nocuiſſe, quam Rufinum ipſum; quippe qui ejus ſcripta interpretatus, ita additamentis, et detractionibus vexaverit, et corruperit, ut Origenem in Origene deſideres.* Nimirum cum ejus cauſæ et perſonæ ſtuderet nimium, ut videbat illi prodeſſe, codicibus utebatur: atque hoc ipſo utramque his prodidit, qui non pro affectu judicabant.

Iſaacus Voſſius *Reſponſione ad tertiam objectionem Richardi Simonis*, pronuntiat affirmato, in quibusdam Manuſcriptis, quæ eſſent nullam vim perpeſſa, *in Chronico Euſebii, ab Hieronymo verſo, atque aucto ad annum MM. CCC. XCII.* iſta legi: *Baſilius Cæſarienſis, Epiſcopus Cappadociæ, clarus habetur. Qui multa continentiæ et ingenii bona uno ſuperbiæ malo perdidit.* Itaque vult poſteriora verba a noſtris hominibus refecta eſſe amore Baſilii. Ego, ſi poſſent hæc verba Euſebii ipſius eſſe (nam ante Baſilium vixit) darem facillime, quam petit violationem. Eſt enim Arianæ factioni nimis exoſus Baſilius; neque poſt Athanaſium alius quis invidia tanta apud hanc flagrat. Verum hac ipſa de cauſa appello æquitatem omnium lectorum, quibus ſunt illa tempora perſpecta. Judicent illi, an codicibus id additum potius ab hoſtibus quam detractum ab amicis videatur. Unde enim Hieronymus tanto viro, cujus alibi præfert ſummam exiſtimationem, tam fuerit infenſus, ut tot alii, imo innumeri apud hæreticos fuerunt?

Eodem

Eodem voluntate magna delatus Joannes Clericus *, Patrum præcipuus obtrectator, Basilio genuinum infigit, cursim confirmans, ex *Carminibus, et Epistolis* Nazianzeni, summi ejus amici, hoc satis liquere. Quam rectius protulisset locos, qui tantam doctoris superbiam ostendunt, ut bona cetera infuscarint! Ego qui utrumque trivi diligenter, asseveratione magna affirmo, cum sit versutus, ac vafer Clericus, conjectandi qualibet arte, tractisque cunctis in deterrimam partem, elicere hinc non posse, quod sit satis ad infirmandum tot laudes, quibus Basilii sanctitatem cum alibi, tum in *funebri Concione* Gregorius ornavit. Quod autem illum locum Hieronymi spectat, ipsum relativum *Qui*, justo remotius, neque junctum particulæ *sed* vel *at*, ex genio Latinæ linguæ mihi persuasit, illum versiculum fuisse adscriptum ab Ariano, ac post in seriem Chronici intrusum. Verum de Glossematis proxime dicam.

Plusculum largiar Clerico in alio exemplo *Parte III. Artis Criticæ, sectione I. cap.* 15. *num.* 15. ubi contendit cum SIMONE, septem *Epistolis Canonicis* additum *Prologum* in gratiam Trinitatis, ad modum ceterorum Hieronymi. Qui tamen vel cum formula *Sed tu virgo Christi Eustochium* sit certo certius impostoris; volentis dictum *Joannis in prima Epistola* auctoritate veterum firmare. Vide Adnotationes, quas sive *Benedictini*, sive *Veronenses* in sua editione ad id loci posuerunt.

Quod

* *In Præfatione Artis Criticæ, Sectione* 3. *num.* 7.

Quod autem monui in hac Regula de fide codicum antiquorum, præclaro exemplo S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Epistola ad Joannem Antiochenum* * declaravit. Cum enim accepisset, *Athanasii litteras ad Epictetum*, quæ habent plurimum momenti ad rem omnem orthodoxam, quibusdam expunctis vel intrusis vitiatam esse, nil duxit præsentius ad patrocinium veritatis, quam si servata Alexandriæ vetusta exemplaria proferret: riteque descripta mitteret Antiochiam. Quo facto sinceræ scripturæ suus honos constitit: hominumque imprudentium et detecta impostura, et repressa audacia est.

CAPUT XI.

Cognitio Glossematum, quæ sublata e margine miscentur verbis Auctorum.

§. I.

Prævia quædam in eum finem.

Hic quædam præmitto, quæ non egent explicatione.

Quid sint Glossemata, et quam sæpe imittantur in sermonem Auctoris.

Et *primo* quidem, codices plurimos habere quædam ad oram chartæ adjecta. Nam ipsæ oræ idcirco relictæ sunt, ut possent quædam ambigua, vel obscura notari: et si hodie papyro tam multa adscribuntur, quanto pronius membranis, quæ nec

* *In Actis Concilii Ephesini Parte III. pag. 311. Tomi IV. editionis regiæ.*

nec bibulæ erant, nec tam parabiles, ut spatia vacua nollent in usum vertere?

Secundo: sæpe vel intra versiculos leguntur notationes, cum est amplius relictum spatium

Tertio: inde librarii sumpserunt occasionem has eximendi e sua sede, ac inserendi in corpus ipsum. Putabant enim fuisse omissa inter scribendum. Quodsi relecta fuit pagina, errrorque notatus, reponebant de integro ad marginem, ad quem spectabant; ut etiam deinceps legerentur, et transcriberentur.

Quarto: id maxime contigit, quando incolumi sententia poterant immitti in vicinam orationem.

Quinto: quidam nasutuli hæc conspicati, putabant esse veras lectiones, adjectas ideo, ut, quando res postularet, reciperentur eo, quo pertinerent; quæ autem contextus sermo haberet, omitterentur. Sic est eliminata lectio prisca; et nova, quæ hujus explicatio tantum fuit, ejus loco adoptata.

Sexto: idipsum contigit, cum *Notas ad marginem* haberent pro *Lectionibus variantibus*; uti pronum est inter acceptiones diversas ejusdem vocis, quarum apertior sæpissime solet oræ adscribi a legentibus.

Septimo: hinc tanta diversitas exemplarium, tam in profanis, quam ecclesiasticis codicibus. Imo in ipsa exemplaria divini Codicis menda plurima hoc modo irrepserunt. Animadvertit confusio-

fusionem Hieronymus, quando chartas conferebat. Quare *Præfatione in Evangelia* id candide professus est: *Magnus hic in nostris codicibus error inolevit; dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt: vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque æstimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud eos mista sint omnia: et in Marco plura Lucæ atque Matthæi; rursus in Matthæo plura Joannis, et Marci: et in ceteris reliquorum, quæ aliis propria sunt, inveniuntur.*

His præmissis ad regulas venio, quibus possint Glossemata ab auctoris sermone internosci.

§. II.

Regulæ.

Observatio reflexa. Regula I. *Incidens, et reflexa, ut sic dicam observatio, quales sæpe fiunt inter legendum, cum plane redundat, merito movet suspicionem Glossematis inserti.*

Nempe hominibus ineptis omissum videtur, quidquid auctor poterat, nolebat tamen adjungere, sive studio brevitatis, sive quod nosset ex nunc, vel supra dictis suam mentem jam intelligi. Quare subolet Critico, eamdem sententiam ab alio aliter reddi, non ab eodem; præsertim cum præter necessitatem, et consuetudinem videt hoc fieri.

Regu-

Regula II. *Suſpicio alienorum verborum ingraveſcit, ſi continent laudem, reprehenſionem, objectionem, repugnantiam; quæ cum antecedentibus, vel conſequentibus ægre concilietur.* *Judicium interpoſitum.*

Tum enim habet rationem ſentientis diverſa, aut reſpicientis alio, aut dubitantis, aut omnino obloquentis.

Regula III. *Etiam iſtud afflat odore gravi ſuſpicionum, ac opinionem ſiniſtram præbet; ſi illa, quæ videntur alterius, non cohærent cum ceteris; ac velut hiatum efficiunt, quem ideo lacunam ſolemus vocare.* *Vitium nexus.*

Nam ſic tria conveniunt, quorum quodvis ſufficit ad odioſam conjecturam, quid extrinſecus adveniſſe.

Regula IV. *Porro diffidentia ipſo jure conflatur, habetque ſummam æquitatem, ſi in verbis aliunde ſuſpenſis, aut ambiguis quid illi repugnet, quod auctor tradidit alio loco.* *Sententia auctori repugnans.*

Ratio afferti ipſiſſima eſt, quam *Capite ſuperiori* dabam pro ſpuriis libris. Si enim oppoſita ſententia alienum librum arguit, quanto magis locum alienum?

Regula V. *Certiſſimum eſt Gloſſema, quando verba ejusmodi in aliis codicibus, aut teſtimonio veterum non comparent; ſed tantum iſtuc, quod in ſpeciem obſcurius haberi poſſit.* *Abſentia in codicibus, vel teſtimoniis.*

Tum nempe germana lectio argumentum pro ſe multiplex habet, cui minime licet refragari. Sed eminet iſtud; quia illa notatione omiſſa, in auctore hoc ipſum remanet, quod obſcurius videtur,

detur, et cui illa volebat lucem affundere. Hoc S. HIERONYMUS *Præfatione jam laudata in IV. Evangelia* usus est. Cum enim admonuisset, in translatis tot sæpe lectiones, quot codices esse: nec apparere probabilem rationem, cui plus sit tribuendum; infert prudenter, si esset numeri habenda ratio, tanto magis ad fontes, ad originem reduci nos; ut facta collatione corrigantur, quæ interpres, librarius, censor adjecisset.

Absentia in ejus versione.

Regula VI. *Si habetur vetus interpretatio libri, cui putas inesse aliena; ibique omittuntur, quæ dubium movent, facile transigitur de additamentis. Idipsum dicas versa vice; cum apud interpretem, licet curatum, quid reperis, quod deest in autographis veteribus.*

Rationem dat S. HIERONYMUS *Præfatione eadem.* Ait enim, trita a paucis non habere tantundem auctoritatis, quantum reddita variorum linguis. Hoc multiplici usu doceri, qui pertineat ad rem, quidque illi sit adjectum. Et quid clarius ostendat appendiculam interpretatione recentiorem, quam si interpres hanc præterit? quid contra, si codex, versione antiquior, quod ista, assumpsit, nusquam redhibet inter vertendum?

Explicatio vocis obsoletæ.

Regula VII. *Cum codex phrasin, vocemve inusitatam, antiquatam, obsoletam habet: isque codex est vetus, locutio ex se proba, stiloque reliquo respondens, compertum sit, antiquioribus loco pulsis successisse novam, velut planiorem, lectionem.*

Non

Non enim erat ratio, cur lectio perspicua mutaretur in obscuriorem, vel usitata in insolentem; contra pronissimum, ut facilior substitueretur. Ecce oppositam superioribus rationem in mente auctoris extundenda! Nam, ut dixi de codice prisco, debere hinc lucem peti; sic velim ex eodem nunc umbras repeti, auctori familiares. Consulto autem codicem priscum postulo; recentior enim, cum habeat voces, quæ loco pulsis successerint, nec in serie jam, nec ad oras lectionem veterem repræsentabit. In quo est par conditio cetera imparium; videlicet Glossematum, Lectionumque variarum.

Regula VIII. *Cum locus difficilis, qui Glossema videtur, de his agit, quæ sunt inter eruditos controversa, clamoresque multos civerunt, parit firmam suspicionem, qui in eum inciderit, voluisse suum facere, vel illi offundere tenebras.* *Ansa studii partium.*

Est hæc lex Historiæ antiquissima, quæ debet locum et in ceteris habere. Usu enim perpetuo scimus, quam multa studio partium jam assuantur scriptoribus, jam detrahantur.

Regula IX. *Si concurrunt duæ sententiæ significantes idipsum, quæ Glossema est, distinguitur facile ab altera, vocibus auctoris constante. Quod enim simplicius est, atque apertius, habetur pro Glossemate implexioris.* *Synonima ad rem explicandam.*

Nempe ideo appositum fuit in margine, ut facilius alterum perciperetur.

Regula X. *Sæpe Gloſſema ipſum corruptum eſt, ac emendationis eget; quod cum novam Critico crucem figat, ſubin lucis afferre quid poteſt.*

Gloſſematum menda vel ideo frequentia puto; quod illa apponens potius ſibi, quam aliis ſcribat, ac ideo non ſolum uſitatis litteris, verum etiam compendiis utatur.

His legibus ſtabilitis ſe duo objiciunt, ex quibus debeo me expedire, priusquam ad cetera transgredior. Et *primum* quidem eſt, ut dicam, cur hic præter morem nulla exempla ſubjecerim regulis. Video enim mox fuiſſe deſiderata ab his, qui illis ſupra aſſueverunt. Reſpondeo pro cognato candore Gloſſemata fere poſteriorum ſunt temporum: ac mirum prorſus, quantum auſa hæc fuerint in codicibus ad ſuam ſententiam trahendis. Quid autem invidioſius, quam ea cumulare, quæ ſine offenſione vix legantur in opuſculo, non hos in uſus ſcripto? Nempe partes aliunde exacerbatas concitarem magis, ac efferarem. Tyrones, quorum intereſt, poſſunt aliunde reſcire, quantopere ſit a majoribus in hoc genere peccatum: et novæ editiones præbent exempla plurima; quæ proſtant omnibus. Quid quod litteraria hiſtoria ſeorſim agit de corruptoribus librorum, vocans nominatim, qui involarint in codices, et velut tyrannidem in hos exercuerint. Videas integra capita de variis, qui

Exempla Gloſſematum invidiam habent apud Catholicos, et Proteſtantes.

Eraſe-

Eraſerint verſus, ſuſtulerint paginas, nunc fruſtra quærendas:

Titulo emaculandi a commentis clamarint intruſum, quod ſuis rationibus non congruebat:

Libris dogmaticis quædam addiderint, ut dogmata novitia fulcirent:

Jam inde, ex quo libri deſcribebantur, alieniſſima ſuppoſuerint:

Data opera imitati ſint ſtilum, ut poſteris illuderent:

Conduxerint artifices manus, ut quædam depingerent formis, ad codicem vetuſtum proxime accedentibus.

Quod factum eſt a Catholicis, eo pertinuit, ut multos faceremus a noſtris ſacris alieniores: et, cum ipſi corruperint plura, dicerent ſibi ducatum a nobis præſtitum. * Sed etiam alii, videntes credulitatem, quæ veris, falſisque ex æquo movetur, induxerunt in animum, ut deſperarent de hiſtorica fide: et ideo ſenſum probitatis, juſtitiæ, cultus divini exterminarent; primum apud

* Non eſt hujus loci oſtendere, quantum indulſerint ſibi hac in parte. Faciam forte alias; non ut impugnem eos, ſed criminationes regeram in Auctores ex juris gentium præſcripto. Quis enim hoc vitio vertat, ſi fiat cum temperantia, verborumque contumeliis parcatur? Non enim illos ſequar, qui ne debeant ad ſingularia venire, duobus verbis reſponſionem abſolvunt: *Qui a Libris divinis non abſtinuerint manum, potuiſſe ſibi multo minus temperare a ſcriptis hominum temerandis, cum id poſcerent affectus.* Non id nunc quæritur, verum quinam, Catholici, an Proteſtantes prius, ſæpiusque vitiarint Eccleſiaſticos codices, ſive Conciliorum, ſive Patrum? Ecce ſtatum quæſtionis! cujus invidia augeri non debet; quando hæc, quantacunque eſt, non in Criticum, non in Criticen, verum rem ipſam recidit ex toto.

se, dein alios, qui sunt per vitæ licentiam proclives ad improbe sentiendum. Itaque vel certissimis exemplaribus diffisi quidam omnia permiscent. Adeo vel in litteris habet locum, quod verbo vetere contritum est: *Mendaces faciunt, ut nec, cum vera dicunt, inveniant fidem.* Inde jam sæculo superiori tantæ conquestiones, Cyprianum *libro de Unitate Ecclesiæ cap.* 3. in variis editionibus corruptum fœde, atque hæc verba, *Christum unam cathedram constituisse, primatum Petro datum, Ecclesiæ reniti, ac resistere, qui cathedram Petri, super quam fundata sit illa*, contra fidem pene omnium codicum, priorumque editionum immissa in seriem orationis. * Verum de hoc plusquam satis; consulendum est enim auribus, quas non est cujuslibet

— — — *mordaci radere vero,*

ut habet quidam classicorum.

Alterum, quod dicent, et cujus me debeo culpa liberare, eodem pertinet; in tam difficili delectu suppetere quædam exempla, quæ venirent ab ignotis, ac ideo extra invidiam forent posita. Atqui hæc afferam libentius. Non enim admisi in animum, ut ab omnibus, sed invidiosis abstinerem. En in uno multiplex.

Exemplum Glossematis antiqui, hodie minus odiosi.

Opus imperfectum in Matthæum, de quo dixi, esse Chrysostomo tributum ab imperitis, videtur aucto-

---

* Equidem lectio in *Pamelii, et Baluzii editione* vindicatur probe; verum alia in aliis, verbi causa in *Ambrosio Sixtino* habent nullam purgationem.

auctoris Catholici; tamen habet quædam pro Ario, quæ prorsus videntur apposita margini, ac dein in sermonem intromissa. Sic *Homilia* 33. *de verbis Evangelii;* Dicit dominus vineæ procuratori suo, subjicit: *Cui procuratori? Sine dubio Filius dicit Spiritui sancto: et, si volueris, concedo tibi, ut Pater Filio dicat.* Tum vero paulatim ungues exserit, atque ita sermonem prosequitur: *Non quæro, utrum Filius sit Patris procurator, aut Spiritus sanctus filii; sed hoc dico, quia procurator domus, et paterfamilias nec ejusdem substantiæ possunt esse, nec una persona esse, nec æqualis dignitas. Si ergo alter paterfamilias, alter procurator patrisfamilias, quomodo habet locum Ternitas tua? Si autem ejusdem substantiæ iste est, et est minor, injuriam facit substantiæ. Si vero non æqualis dignitas, ubi est una substantia?* Quæ verba sunt auctorem lectum carpentis, et in loco suam hæresin venditantis. Etsi enim hanc totam periodum tollas, reliqua fluent nihilo minus; imo, quod nihil interrumpitur, multo magis. Ejusdem commatis sunt alia, quæ jam Montanum sapiunt, jam Manetem, jam prorsus pugnantia cum ceteris docent. Ego hunc locum elegi, quem CAVEUS *ad annum* 398. *pag. mihi* 317. velut decretorium statuit pro immissis Glossematis. Quo magis miror, velut sui, certe ejus, quod dixerat proxime, plane oblitum, contendere, quæ auctor idem *Homilia quadragesima nona* de auctoritate Scripturæ solius haberet verbose adversum Traditiones, pro sinceris esse habenda: „Nullum aliud

 „esse

„ esse christianorum, fidei veritatem cognoscere „ volentium, refugium: nullam aliam posse esse „ veræ Christianitatis probationem, nullam aliam „ in tanta rerum confusione veræ Ecclesiæ notam; „ ideoque mandasse Dominum, ut omnes Chri- „ stiani volentes firmitatem accipere fidei veræ, „ conferrent se ad Scripturas; casuros secus in „ abominationem desolationis, quæ in sanctis Ec- „ clesiæ locis staret." Si enim in superiore, ac aliis pluribus sententiis est corruptus auctor: habetque prorsus intrusa ab hæreticis; quid hanc vindicat, ac germanam statuit? Rationem nullam dabit, præter istam, illas sibi adversari, istam facere pro rebus suis; quæ plane proletaria est Critice, et a quavis litigiosa anu adhibetur.

Sed in *editione Coloniensi anno* 1487. facta, diu ante reformationem, hic locus palmaris totidem verbis legitur? Quid inde? Nec editio ista, nec codex ullus vetustior potest fidem facere, inter alia corrupta, hoc unum, Arianis æque favens, integrum esse Non enim nunc quæritur, cur omissum sit in sequentibus editionibus; verum an non codici manuscripto assutum, uti alia, ipsi Caveo improbata. Quod cum dicatur a me pari jure, imo majori, per se consequitur, et in illam veterem editionem, inde exscriptam, debuisse irrepere. Vides jam, quantum in uno exemplo sit exemplorum, a nobis supra præteritorum? Nam admonet studium veritatis, quam ars Critica

ubique

ubique respicit, ut ponantur omnia, quæ damus partibus: neque in judicando de scriptis veterum rationem ullam aliam, præterquam legum habeamus, quas nobis ipsi tunc tulimus, cum argumentum nil habuit commune cum opinionibus præjudicatis.

CAPUT XII.

Cognitio vocum, litterarum, signorum, quæ spectant veterum emendationem.

Non id nunc ago, ut exemplo CLERICI, ac eorum, qui de *Manuscriptis*, et *Diplomotibus* operosius scripsere, œconomiam omnem scribendi, modosque infinitos, quibus voces, ac litteræ in vetustis exemplaribus vitiatæ, ac post in typos sunt translatæ, capite uno percurram. Satis est monere de præcipuis. Ac

Quam multis modis irrepant menda: quamque cito alienam sententiam auctori affingant.

Primo quidem erratum sæpissime inversione sola ejusdem litteræ; ut ***quam tenue judicium!*** pro ***quam tenue indicium!***

Secundo ejusdem litteræ vel omissa, vel posita repetitione; ut ***vitam*** pro ***vittam;*** *Catulus* pro CATULLUS; ***aberratum*** pro ***aberat tum.***

Ubi præter utramque geminationem etiam sejunctio est, de qua infra dicemus.

Tertio unius litteræ detractione; quæ solet potissimum evenire ipso initio, cum vocem dictantis non plene librarius percepit; ut ***ratio*** pro ***oratio;***

albus pro *balbus; ingratis* pro *ingratiis*; *duabus alis opus* pro *duabus aliis opus; mulierem vitavit* pro *mulierem vitiavit*; *Camelus* pro CARMELUS.

Quarto unius litteræ additione; quod fit ſæpe in verbis, quamdam ſimilitudinem habentibus; ut *proprius* pro *propius; provinciam placavit* pro *provinciam pacavit*; *juſtos* pro *iſtos* *; *locus non eſt amplius* pro *locus non eſt amplus*.

Quinto mutatione unius conſonantis; qua et ſententia mutatur vehementer; ut *ad vos ſpectat* pro *ad nos ſpectat*; *vocatiſſimus* pro *vocaliſſimus*; *venuſtatem* pro *vetuſtatem; acceſſit* pro *arceſſit*; *mature conceſſit* pro *naturæ conceſſit*; *monſtrum virgo Barbara!* pro *monſtrum virgo barbata!*

Sexto mutatione unius vocalis; qua iterum ſignificatio prorſus alia inducitur; ut *potentibus* pro *petentibus*; *mulier facunda* pro *mulier fæcunda; omnia ducis cauſa* pro *omnia dicis cauſa*; *ſeniores* pro *ſaniores; partim putavit* pro *partem putavit*; ſive reſecuit; *angulos* pro *angelos*; *elatus* pro *alatus*; *prælatis funibus* pro *prolatis finibus* (imperii videlicet) *vinum dilatum eſt* pro *vinum dilutum eſt; diligere* pro *deligere*; *dimittere* pro *demittere*; *perſonam affectam* pro *perſonam afflictam*; *ex duritia panis decumbens* pro *ex duritia penis decumbens*.

Septimo

* Celebris corruptio AMBROSII, cujus Theologos *Tubingenſes* apud Cæſares Ferdinandum I. et Maximilianum I. accuſat *Georgius Caſſander in Conſultatione pag.* 145.

Septimo trajectione litteræ sive unius, sive plurium, oppido frequenter; ut *suscipere* pro *suspicere*; *examinavit* pro *exanimavit*; *fulmen eloquentiæ* pro *flumen eloquentiæ*; *Apage* pro AGAPE; *cuique unica data* pro *cuique uncia data*.

Octavo conjunctione litterarum, quæ facit ex verbis duobus unum; atque contra sejunctione, quæ facit ex verbo uno duo exurgere; ut *emensa* pro *e mensa*; *etiam sublatum* pro *et jam sublatum*; *quod ipsa reprobasset* pro *quod ipsa re probasset*; *ex templo* pro *extemplo*, id est mox, statim; *in firmo corpore mens erecta* pro *infirmo corpore mens erecta*; *mater terra sublatum triduo luxit* pro *matertera sublatum triduo luxit*.

Nono affinitate quorundam ductuum; ut *cedes* pro *ædes*; *attamen* pro *ac tandem*; *aberratum* pro *obæratum*; *satiavisset* pro *satius esset*; *ad aram* pro *adoream*; *quianam** *illarum habuit* pro *quin cum illa rem habuit*; *litteris initialibus* pro *litteris uncialibus*; *propter maritum tumultuata* pro *prope maritum tumulo illata*; *quod contigit caput Sancti* MINIATIS pro *quod contigit apud Sancti* MINIATIS, intellige templum, vel ædes; *de injuria amaro questu discessit* pro *de injuria amatæ questus discessit* **.

* Quæ de cetero est proba vox.

** Sæpe hic negotium facessunt litteræ illæ perpendiculares in scriptura Longobardica. Quod tollitur solis punctis suo loco adjectis, ut *nummo* si adjicias supra duo puncta, habebis *minimo*.

Decimo demptione, vel adjectione syllabæ; ut *includere* pro *intercludere*; *notatione* pro *notione*; *deliberasset* pro *delibasset*.

Undecimo compendiariis notis, quæ secus accipiuntur; ut *substitit* pro *substituit*; *coram* pro *cor autem*; *librorum* pro *librariorum*; *navium* pro *navalium*; *momentis* pro *monumentis*; *natum* pro *naturam*; *nequam* pro *nequaquam*; *duplicatis* pro *duplicitatis*; *auræ* pro *auroræ*; *Epicum carmen* pro *Epinicium carmen*; *rudibus* pro *ruderibus*; *p m.* id est *piæ memoriæ* pro *Pontifex maximus*; *adversarii* pro *adversaria*; *commentariis* pro *commentis*; *Bibliam* pro *bibliothecam*; *antiqui* pro *Antiquarii*; *sigillum* pro *sigillatim*; *reliqua* pro *reliquiæ*; *vox obscura* pro *vox obscoena*; *patruus* pro *patricius*; *Papyrus* pro PAPIRIUS; *Titus* pro TITIUS; *Priscus* pro *Priscianus*; *Valentinus* pro *Valentinianus*; *Quintilianus* pro *Quintilius*; *Jovinianus* pro *Jovianus*; *Augustini ætate* pro *Augusti ætate*; *Valerianus Martyr* pro *Valerius maximus*; *corpus exornavit* pro *corpus exoneravit*; *undecim millia virginum, et martyrum* pro *Undecimilla virgo, et martyr*.

Quædam seorsim de interpunctione.

Duodecimo omissione interpunctionum, ceterisque notis sive accentuum, sive affectuum; quæ quam valeant in utramque partem, videlicet obscurandum, ac illustrandum sermonem, multi ostenderunt præsertim Grammaticorum, sacrorumque Interpretum; sed maxime THEOPHILUS RAYNAUDUS *in Minutalibus Sacris Tom. XI.* Dubia

bia interpunctio *apud* S. IRENÆUM de Jejunio quadraginta dierum, quem Euſebius Cæſarienſis *Libro V. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap* 24 allegat, quantas lites movit! * Idem accidit loco AUGUSTINI: *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te;* cui cum Reformati, quos dicunt, punctum interrogationis adderent, ſententia maxime Catholica in errorem abiit capitalem **.

Scio doctorem Scholaſticum, qui propter accentum omiſſum legit, *Moniales abſolute noluiſſe Pontifici parere;* ad quod riſus ingens eſt conſecutus; quia, quotquot aderant, ad prolem retulerunt, quod res mandati fuit.

Porro interpunctio mutata quam mutet ſenſum Scripturæ, notat ipſe AUGUSTINUS *Libro III. de Doctrina Chriſtiana cap.* 3.

Sunt, qui prorſus negent hunc uſum ſignorum apud veteres; ſed falluntur vehementer. Etſi enim multi codices intervallis carent, tamen alii lectionem probe diſpungunt: idque præter Græcos commendavit CICERO *Libro III. de Oratore num.* 46. et *Oratione pro Muræna num.* 11. SENECA *Epiſtola* 40: HIERONYMUS *Præfationibus in Joſuen, in Iſaiam, in Ezechielem*; CASSIODORUS *Præfatione Inſtitutionis divinarum litterarum*, atque iterum *cap.* 12. *et* 15. operis ejuſdem.

Decimo

---

* Hanc ſi neſcis, adi *Guilielmum* BEVEREGIUM, Theologum Anglum, eundemque inſignem virum, ad *Canonem Apoſtolorum* 69.

** *Apud Theophilum Raynaudum libelli laudati Puncto V.* Locus autem *Auguſtini*, errore operarum male citatus habetur *cap.* 11. *Sermonis* 15. *de verbis Apoſtoli.*

Anfis omif-fionum. *Decimo tertio* omiſſione vocis unius, aut plurium. Quod ſolet deſcribentibus ſæpiſſime evenire; cum, quod animo obverſatur, jam putant in ſua charta eſſe: vel verbum idem in vicinia bis, ter, quater occurrit. Tum enim oculis ab exemplo ad exemplar reductis, ut vident illud ipſum, quod ſcripſerant, non primo, vel ſecundo, verum tertio aut quarto loco, inde pergentes illa omnia prætereunt, quæ neſciunt interjacere.

Orthographia. *Decimo quarto* ignoratione, et diverſitate Orthographiæ, quæ ſane fuit fœcunda mater mendorum. De Orthographiæ ratione ex libris et monumentis antiquis collecta præclare ſcripſit ALDUS MANUTIUS junior; ſed ſuperat hunc CLAUDIUS DAUSQUEIUS in *Orthographis antiqui, novique Latii;* in quem doleo me ſerius incidiſſe. Eſt enim ſplendidum ejus opus, eruditum, planeque exaſciatum, *Tomis duobus formæ maximæ;* quod ultimo prodiit *Pariſiis* 1677. Huc ſpectat, quod Græci Latina, Latini Græca nomina aliter ſcribunt; haud ſecus ac hodie Galli; qui quævis extera deformantes pro libitu, jam ſplenem nobis, jam bilem movent. Atque iſtuc opinione mea in libris veterum pluries peperit ineptam correctionem, quam falſam ſcripturam.

Veteri Grammatica. *Decimo quinto* peregrinitate veteris Grammaticæ; quæ cum ſit hodie fugienda; quia recte dixit *Favorinus apud Aulum Gellium Noctium Atticarum Libro I. cap.* 10: *Vive moribus præteritis, loquere verbis præſentibus!* noſcenda eſt tamen, certe conſulenda

lenda studioso antiquitatis; quando frequenter hinc pendet sententia difficilis loci sive apud sacros, sive apud profanos. LUCAS FRUTERIUS *Verisimilium Libro I. cap.* 3. *et* 18: item *Libro II cap.* 10. rectissime docet, in emendando veteribus Grammaticis quamplurimum tribui oportere. Vide *Caput septimum* hujus operis mei

Decimo sexto verbis ac phrasibus barbaris sequioris ævi, quæ quidem ubi explicentur, in loco dixi *Barbarismis,*

Decimo septimo erratur sæpe numero ignoratione differentiarum, quæ in vocum sensu vario quamplurimæ occurrunt: et de quibus egi supra *Capite septimo* operis hujus. TERTULLIANUS Romanæ linguæ proprietatem, qualis fuit ævo ejus, quam maxime exhibet in dicendo. Grammaticam vero civilem, ac Philosophicam sequitur, non illam scholarum, nec apicem ponens sine cura: atque ideo fit plurimi apud Jureconsultos. Quod ipsum fuit causa, ut ejus explicatio non solum lectoribus, sed etiam interpretibus multum negotii facesseret.

Decimo octavo multis mendis præbita ansa locutionibus ambiguis; de quibus eodem capite septimo quædam notavi, hic recolenda. *ac ambiguis locutionibus,*

Decimo nono curatum sæpissime situ, ac ordine vocum, versuumve mutatis. Quæ res quam turbet auctoris sententiam, non habeo opus nunc dicere. Patet enim per se; quando sic velut membra luxantur constructi sermonis. Nempe librarii rudio- *ordine versuum.*

rudiores cum quædam omisissent, errore notato reposuerunt; verum non ubi debebant, sed loco alienissimo; ne paginam totam deberent de integro transcribere. Exemplum habes *apud Maurinos*, qui HIERONYMUM ediderunt, ad hujus *Præfationem de omnibus veteris Testamenti libris.*

omissis quibusdam, ac perperam repositis,

Neque excidere debet hoc loco, quod sagacissimus MURETUS, postquam in veterum emaculandis codicibus annos plures contrivit, *Libro XV. variarum Lectionum cap.* 9. animadvertit: *Solebant homines imperiti, qui avorum, aut proavorum nostrorum temporibus victum sibi describendis libris, quæritabant, quæ perperam scripserant, non delere; ne libros suos, multis lituris deformatos, minus vendibiles redderent, iterumque totas paginas describere cogerentur; sed iis, ut erant, omissis, cetera persequi. Atque ea res innumerabilem errorum copiam in omne scriptorum genus induxit.*

Hæc obiter de vitiis librariorum, quæ omnia habere perspecta quamplurimum nostra refert. Nam ut idem MURETUS *Libro eodem cap.* 16. docet: *Ad medicinam melius et certius factitandam non mediocriter utile est scire, quibus in rebus is, qui ægrotat, peccare solitus sit; quo et causa morbi facilius reperiatur, et ad eam medendi ratio accommodetur. Sic et iis, qui se scriptorum veterum quasi medicos quosdam esse profitentur, nosse expedit, quibus potissimum modis veteres librarii peccare soliti sint, ut latentia ulcera, quæ in optimis quibusque scriptoribus inveterarunt, sagacius deprehendant. Inter cetera igi-*

tur

tur ſane multa genera depravationum animadverti, ſolitos eſſe, ſi quando vetuſtioris libri, ex quo aliquid deſcribebant, ſcripturam ſatis certo, ac liquido perſpicere non poterant, dubitabantque hoc an illo modo ſcriptum foret: aut ſi quando aliud in aliis exemplaribus ſcriptum reperiebant, utramque ponere, et lectorum judicio permittere, utrum verius videretur, Eo modo vix credibile eſt, quam multa in optimis, et nobiliſſimis quibusque ſcriptoribus maculata ſint. Atque hæc ultima ratio mendorum jure optimo priorum agmen claudit. Eſt enim generis ejus, quod oſtendat, per ipſam providentiam ac cautionem, quæ poſſit tam lectorem, quam librarium ſecurum præſtare, de integro interdum peccari. Jam manum de tabula amoveram ad caput aliud tranſiturus, cum rurſus ſe offert occaſio, qua homines illi inducebantur ad codicem non quidem depravandum, ſed tamen imperfectum relinquendum. Itaque

duplici lectione ſimul poſita.

Vigeſimo ſcripta multa vitiavit mos antiquus relinquendi ſpatia pro litteris, verbisque initialibus tam librorum quam capitum. Nam debebant hæc ornata, ac majuſcula eſſe. Cum ergo inter ſcribendum non poſſent rei illi vacare, ſervabant laborem horis ſubceſivis, quibus per otium hæc tingerent diverſo colore, ſive auro illuderent. Ita factum, ut venirent in oblivionem quædam ſpatia, ac denique ex ingenio reſtituerentur. Vide HENRICUM VALESIUM *in Notis ad Euſebii Cæſarienſis Librum IV. cap.* 22. *de vita Conſtantini.*

More ornandi initia librorum, et capitum.

Vides

Vides ex hactenus dictis per imperitiam, aberrationem, festinationem, ceteramque incuriam, præcipue vero affinitatem vocum ac literarum, similitudinem ductuum ac compendiorum corrupta innumera esse: alia trajecta: neque pauca, quæ interdum inter eandem vocem repetitam legebantur, vel reliquarum chorum ducebant *, penitus omissa. Exempla dedi, quæ obvia habebam; quod si quis errata, quæ leguntur ad mensam in sacris coetibus, notaret: vel tabulas mendorum, quæ solent libris subjici, percurreret, næ hic brevi sylvam ingentem collegerit; ubi interdum nec ipse, nec alii possint risum continere. Tam sunt monstrosa quædam, ac præter omnium exspectationem. Habebam talia in numerato; sed per decursum ætatis perierunt cum ceteris.

Exempla Græca consulto non addidi, cum propter ignaros linguæ ejus, tum causa ipsarum operarum, quas nolim infensas habere, hæc illis obtrudendo. Facturus id essem malo meo; quod pro veteribus nova, pro alienis sua reponerent; ut jam non menda, sed menda mendorum haberemus. *Palæographia Græca* BERNARDI *de* MONTFAUCON, et *Guilielmi Canteri Syntagma de ratione emendandi Græcos auctores* hoc onere dudum me levarunt.

CAPUT

---

* Puta voces initio positas, de quibus paulo ante.

Caput XIII.

Cognitio dexteritatis in restituendo sententiam, locosve affectos sanando.

Universe dicendum est, qui velit his ulceribus mederi, debere eum et ingenio valere et usu. Certe in præcipiendo utramque hæc paginam faciunt. Et ingenium quidem posco in antecessum; aliquem usum docent hæc ipsa, quæ causis subjecimus, exempla mendorum. Nam vides iisdem modis, quibus est peccatum, *additione*, *ablatione*, *transpositione*, *extensione*, *contractione*, *distinctione*, *copulatione*, *mutatione* librum emendari. Nunc præcipue hortor

Industria, et cautela variæ in emendando, ac maxime cum loci videntur insanabiles.

Primo, ne quid mutetur, quod non res ipsa, series sermonis, natura linguæ, mens scriptoris, familiaris huic stilus, postulat.

Secundo, si quid mutatur, corruptionis ansa addatur. Hac detecta consilium emendandi facilius admittetur.

Tertio, habeatur ratio veterum codicum, minusque suspectorum: cumque hi desunt, veterum citationum, ac versionum. Ab harum lectione nemo prudens abit longius: ac recte est dictum a Christophoro Augusto Heumanno *in Commentatione de Arte Critica* §. XXIII: *Minus mihi peccare videntur, qui artis criticæ expertes manuscriptis codicibus tanquam scopulis adhærescunt; quam qui ingenio plus justo indulgent: nec, quo eundum est, duce rationis judicio eunt, sed, qua data porta, ruunt.*

 Quarto,

Quarto, nunquam temerario ausu suspectum locum aggredere, illotisque manibus contrecta. Secus eveniet, ut eligas, quodcunque speciem verisimilitudinis offert. Festinatio, et inconsiderantia, ut in ceteris, sic maxime hic et anceps et præceps est vel apud expertos; quanto magis rudiores? Hi certe quidvis invertent, et mutabunt hac sola de causa, quod putent a nemine intellectum iri, quod non ipsi intellexissent. Ita olim librarii fecerunt, de quibus *Epistola* 28. *nunc* 71. *ad Lucinium* queritur HIERONYMUS: *Scribunt, non quod inveniunt, sed quod intelligunt: et, dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.*

Quinto, ne sis adeo meticulosus, ut te putes nisi fultum codicibus posse nihil in emendando. Si majoribus tam parum animi fuisset: si damnassent omnem conjecturam: si nimium dedissent manuscriptis: si nescissent, ipsos errare, qui primo scribunt, et scriptione iterata accedere nova errata; tam præclari libri, quos restitutos videmus, tritosque omnium manibus, jacerent in tenebris, neque lectorem invenirent.

Sexto, variantibus lectionibus, ipsisque chirographis instructum, cum caret ope regularum, neque est subactus usu linguæ, hæc parum juvabunt; contra illi, qui sit versatus in auctoribus, constabit nullo labore vitiata multa notare, quæpiam reponere. Præsidium Critices non solum in obscuro facem præfert, sed etiam certis legibus retinet communem temeritatem, quod minus arriferit,

ſerit, ex ingenio emendandi. Quo ipſo diſcernuntur indicia vera a genere divinandi, quod nititur libidine ſola vel arbitratu Dum ergo imbutus regulis, aut auctori familiaris ſis, ne tenta emendationem. Satius eſt legere, ut vulgo ſolet.

Septimo, poſtquam cognitionem regularum, et auctorum hauſiſti, perſuaſum habe, in reſtituendo loco ingenium pluris eſſe, quam veterem ſcripturam; quia hujus omnis auctoritas nonniſi a fide, peritiaque librarii eſt.

Octavo. Quid vero ſi conſentiunt codices? Poſſunt enimvero et in mendo conſentire. Quare GRÆVIUS, MANUTIUS, alii, qui ſcriptis veterum manum medicam admoverunt, conjecturam maxime probabilem, ac eruditam, cum ſeriem ſermonis nectit, præferunt omnibus ſuis membranis: novamque lectionem tuentur invitis cultoribus manuſcriptorum; quos inter (ut id admoneam in loco) etiam ipſi fuerunt conſtanter.

Nono, ubi ſatis apparet, eſſe quædam omiſſa, ne quæſo te, ſive ingenium jam, ſive regulas, ſive uſum adhibe in conſilium. Ad omnia hæc incaſſum confugitur; præſertim cum nil ſupereſt, quod indicet lacunam: et vocum junctione ſunt deleta univerſa veſtigia. Fortaſſe enim non paucula, ſed multa deſunt: ac evulſa pagina fuit in codice, ex quo tuus eſt exſcriptus.

Decimo cum quædam *propria nomina* ſive locorum, ſive perſonarum ſunt labem paſſa, et qui-

dem eam, ut ratio cognoſcendi non ſuppetat ex hiſtoriis; vel propter utrorumque obſcuritatem, vel, quod deterius, pluralitatem (qua fit ut poſſint quatuor et quinque habere locum haud incommode) tum apage quæſo cum tua qualibet eruditione! Nihil inde præſidii ad talia exſculpenda.

Undecimo ſi adſit ſuſpicio Gloſſematis, quod tam ſuperiori, quam ſequenti ſermoni pulchre congruat, rurſum eſt curta omnis ſuppellex Critica; ut ſit longe ſatius cum ea domi ſe continere. Tantum enim abeſt, ut judicibus harum rerum ſatisfacias, ut nec tibi, ſi rem ex æquo expendere velis. Quare et hic habet locum, quod toties, præcipue vero in ſacris, dici ſolet: *Quæ Deus ignorare nos voluit, libenter utique neſciamus.*

Duodecimo. Sed neque quid tentes ex ingenio, cum poſſunt duæ diverſæ lectiones ſic contendere, ut neutra ſuperet alteram intenti ſenſus probabilitate. Tum enim ſi conſulas omnem perſpicaciam, omnemque uſum ſive proprium, ſive alienum; efficies unice, ut probes utramque: ac per hoc ipſum, optione nulla relicta, poſſis ad neutram dicere illud amatoris

— — — *tu mihi ſola places.*

Decimo tertio ſi locus in codicibus eſt ſic expreſſus, ut putes, librarios, quod legere et intelligere nequirent, maluiſſe quidvis, quam nihil, ſcribere, ab hoc pariter abſtineto. Ni forte ſcri-

pturam

pturam in membrana videre, et ex dubiis ductibus eruere liceat, quid pepererit vitiosam lectionem. Certe sic apparet facilius, quid *dividi, jungi, distorqueri, pro compendio accipi, duplicari, inverti, misceri* potuerit. Secus pro arbitrio statues, ac secundum libertatem; utique sumptam, non acceptam. Serviet tibi, cui debebas ipse servire: et corruptio tollenda pariet novam corruptionem, tanto pejorem; quia illo ex genere, quod sibi arrogat jus, inductumque in possessionem præcludit locum examini ulteriori.

Hæc de præsidiis, et cautionibus in corrigendo; ex quibus æquissimis exurget sane moderatio, quæ est caput in negotio castigationum universo. Nam limites statuit, qui neutri parti plus justo indulgent: utque multum det perspicaciæ, imo primas deferat, tamen modum ponit: neque sinit Criticum bonis horis abuti, cum est res desperata quid reponendi.

Nunc alia addo ex idoneis auctoribus, quæ videntur accedere ad rem istam tentandam.

I.

Alia quædam seorsim, et extra ordinem reliquarum.

Priusquam aggrederis correctionem, considera primo loco, an adsint verba aliena, quæ librarius e margine eo immisit. Sunt autem, si minime huc faciunt: et potuerunt ob conditionem sive a Critico, ut dixi, sive lectore ad oram adscribi.

Quaedam tollenda magis, quam emendanda. Ratio est, quia corrigere velle, quod sit prorsus tollendum, non est sani hominis, minus intelligentis, ac eruditi. Unde vero id possis eruere, fuse dixi *Capite undecimo* hujus operis; scilicet:

Ex data ratione, cur hoc diceret auctor:

Ex explicata mente, vel vocabulo:

Ex addito, quod omissum videbatur:

Ex ostentata eruditione.

Nam si desunt in libro antiquo: si videntur frigida: si non cohaerent cum ceteris: si abeunt ab indole stili, vel habent inanem repetitionem: si absunt commodissime: si demum prioribus dilucidiora quidem, sed minus antiqua sunt, praebent aliunde indicium adjectionis factae.

II.

Cum autem liquet, non in Glossemate, verum ipso sermone faciendam emendationem, debes prius ab aliis doctioribus rescire, an locus reipsa laboret mendo; an solum difficilior sit intellectu, cetera sanus.

Quanti referat, scire esse locum corruptum. Nam in tali siquid sumeres tibi consulto nemine, nil distares ab hoc, qui nomen Medici usurpans, sed carens intima scientia, invaderet sanam partem ingesta potione: vel aliquod integerrimum membrum igni ferroque vexaret. Saepe quid videtur nec locum nec speciem veri habere, quod ab alio alioque inspectum, collatumque cum ceteris aut vetere Grammatica illustratum, non prave, verum breviter, obscure, barbare, vel ad

imita-

imitationem Græcorum dictum apparet. Hac de causa itentidem admonent Critici, debere eum qui velit codicem emendare, non solum Grammatica, sed etiam litteris aliis esse sic imbutum, ut harum ope, interdum juncta, possit venire in cognitionem mendorum. Quoties nec Theologus, nec Philosophus, nec Historicus videt auctoris mentem putatque librarium erravisse graviter in describendo; cum ecce Jureconsultus intervenit, et ex sententia legis cujusdam continuo pronuntiat, verissimam esse lectionem?

III.

Sed certus de mendo, ut te accingas rectius ad tollendum, debes personam auctoris induere: ac tecum intentius cogitare, quid habuerit in animo, quove spectarit id loci.

Mens enim posita ob oculos: tum priora sequentibus collata: ac maxime quædam alibi scripta, facilius ostendent, quid luxatum, coalitum, omissum, additum sit. Quodsi apparet origo mali, fors alio non opus, quam verbo, syllaba, parenthesi reponere sententiam desideratam. Præclare dixit LUCAS FRUTERIUS *Verisimilium Libro II. cap.* II. *Hoc ego emendationis genus esse præsentissimum judico, et optimum, quod ex ipso auctore auctoritatem accipit, et vigorem.* *Præcipua industria, consulto huc reservata.*

P 4 IV.

IV.

Si porro alii frustra sudarunt, et faciunt fidem, neque editam neque scriptam lectionem usquam variare, sed codices mirifice consentire in vetere mendo, ne negotium tibi inane facessas; sed potius secundum prudentiam reputes, esse aliud, quid debuerit auctor scribere; aliud, quid scripserit reipsa.

Interdum errat ipse auctor. Cum enim errare sit omnium, tum maxime illorum, qui jam sint alicubi in errore deprehensi. Nil pronius, quam deficere in uno, qui multis intendunt. Labuntur memoria, aberrant animo, et ab his avertuntur, quæ proposita habuerunt. Supra laudavi (*Capite VII. Regula* 10.) LEONEM ALLATIUM, et JACOBUM BOILEAU de hominum illustrium aberrationibus scribentes. Quibus addere licet CAROLUM ANDREAM DUKERUM *in Opusculis de Latinitate veterum Jurconsultorum:* JACOBUM FRIDERICUM REIMMANNUM in der Einleitung in die *Historiam Litterariam* der Deutschen *I. Band a pag.* 126. *et pag.* 162. JOANNEM GEORGIUM SCHELHORNIUM *in Amœnitatibus Litterariis Tomo V.* * Mitto ceteros, qui aliquem classicum universe culparunt. Ut enim iniqui in eum fuerint, tamen vestigando in quædam inciderant, quæ non sunt extra culpam.

Si

* Eodem spectant M. ANTONIUS MURETUS *Libro I. Epistola* 30. THEOPHILUS RAYNAUDUS *Tomo VIII. pag.* 600. JOANNES *Clericus Artis Criticæ Parte II. Sectione I. cap.* 10. CHRISTOPHORUS AUGUSTUS HEUMANNUS *Commentatione de Arte Critica a* §. 40.

Si ergo reipsa sit lapsus auctor, tum fines officii transgrediare, et stilo confodias sanissimum locum; imo auctores non illos qui erant, statuas, verum ut esse debebant, obtrudas.

V.

Cum vero vel difficilem locum feliciter ac supra spem plane emendasti, nil inde arrogantior evadas, aut circumspicias te magnopere.

Nec enim est tanti corrigere affectum locum, ut ejus causa clamores sint tollendi vel triumphus decernendus MARCUS ANTONIUS MURETUS, in hoc genere versatissimus, *Libro IX. variarum Lectionum cap.* 11. ex vero scripsit: *Incredibile dictu est, quam pusilla menda quantas tenebras interdum etiam eruditissimis hominibus objiciant; ut quod multa interdum sæcula summos viros latuit, id postea indicatum, vel pueri, primis litteris imbuti, assequi debuisse videantur.* Similia jam scripsit *Libro VIII. cap.* 4. Vides, sæpe casu offerri ænigmatis solutionem: neque tam ingenii ac doctrinæ, quam eventus improvisi hoc opus esse. Modestia neminem tam decet, quam eruditum: et Medicis magnopere vertimus vitio, si ob unum alterumve morbo liberatum se ita jactent, quasi desperatus fuisset æger: nullusque Podalirius potuisset hunc ad valetudinem revocare. Recte enim utor similitudine ista; quando ipsi Critici solenne habent profiteri, se loca auctorum *sanare*, *persanare*, ac quæ sunt commatis hujus complura alia. *Modestia emendatoribus commendatur.*

Quo alludens LUDOVICUS MOLINÆUS *charaćterum Moralium pag.* 168. hunc faſtum ita perfricuit: *In ſcriptis antiquorum recenſendis, ubi deploratum, ut loquuntur, cujusdam Tragoedi locum in integrum reſtituit, videtur ſibi ægrum valetudinis conclamatæ e mortis faucibus eripuiſſe, ac vitæ, et ſanitati reddidiſſe.* Quod ut minime imminuit exiſtimationem ipſius artis, tamen eum, qui cauſa duarum correćtiorum circumſpicit ſe petulanter, poſſit modeſtiam docere. Docebit autem, ſi cogitet, quod ſupra dixi, quemadmodum in aliis, ita hic ingenio, uſu, judicio, plus ſæpe valere ipſam fortunam.

Monita neceſſaria adverſus petulantiam, Sed eſt aliud multo majus, cur velim quemvis Criticum, maxime juvenem, ſuo animo temperare, nec propter ſucceſſum proſperum in corrigendo efferre ſe inſolentius. Ni enim id faciat, profećto unacum ſupercilio audaciam ſumet: ac quamprimum ſuo judicio curatius quid potuit, vel planius ſcribi, reclamantibus omnibus libris, legibusque temperantiæ ipſis perruptis: *Ego vero,* dicet, *ita legam: ſic ſtatuo: Non aliter deinceps accipies: quod corrigo hunc in modum: ita dispungo: delendum hoc penitus, ac ſpongia inducendum: miror id neminem advertiſſe: inſaniunt, qui hærent veteri lećtioni,* quæque alia ſunt per jaćtantiam et temeritatem incredibilem a multis effutita. Ita aperietur corruptioni latiſſima via: ſomnia ipſa obtrudentur, ac conjećturæ quævis non, ut mos eſt, in ſubjećtum ſpatium, vel marginem, verum ipſam ſeriem ſermonis inferentur. Quod malo ſuo

suo fecerunt quidam minime indocti, non regulis inventa, verum inventis regulas aptantes: jubentes legem, dantes superba imperia, sua omnia certa, explorata, luce clariora habentes. Debuerunt autem cordatis, et prudentibus tanto majus ludibrium, quanto satius sapuissent exemplo priorum, in hoc negotio tum maxime lapsorum, cum putabant acu se rem tetigisse. Nempe præcavendum huic malo; quem enim occupavit, ab hoc frustra speres depellere. Sed neque in certamen cum tali descendam quovis modo; quia facerem irrito conatu, præclusaque spe omni emendationis. Nam cum nullo jure in hos invehatur, qui sentiunt aliter; postquam legem nostræ artis violavit ex destinato, ageretur in rabiem, si eum quis diceret in errore deprehensum.

Porro superiorem cautionem de modestia, quam velim adhiberi ab aliis, primus servabo; ac, quamvis liceret correctionum exempla proferre, quas olim, dum Patres legebam, suspicione attigi, et post inveni, a peritis dudum probatas, non committam, ut in his paginis iterum legantur.

Quod autem spectat licentiam in corrigendo, quam quidam incredibilem arrogabant, quando ab ista quoque tantisper digressus sum, nequit sat inculcari, ut qui sumunt sibi hoc negotium, identidem cogitent, rationem finis habendam, et duplicis quidem. *Primus* est, ut non tam speciem sequantur, quam veritatem: aut si hanc

non

non possunt, saltem metum nobis curamque eximant, scripturam codicis retinendo, ut acceperunt. Hac fidelitate nec hilum auctor deperdit: et ipsis, si quid probabile habent ex conjectura, licebit semper vel ponere ad marginem, vel postremo versui in morem notarum subjicere. Sic salva omnia sunt utraque ex parte. Utcunque res expenditur, neque Critico plus dare nos decet, nec Criticum exigere a nobis. Tantum ex lata lege et æquitatis, et consilii elucet. Quare præcipui editores, modo error non esset manifestus, servandam sibi in recensendo semper existimarunt. *Secundus* est, ut quidquid corrigitur, ad divinum honorem, hominumque utilitatem referatur. Quod fieri nunquam potest, si corrector affectus in potestate non habet: si tollit clamores, si alios jam imposturæ, jam socordiæ, jam ignorantiæ accusat: et ob unicam voculam inimicitias suscipit cum omnibus, qui secus sentiunt. Quid enim juvat auctores a nobis emendari, si hac de causa ipsi depravemur? An satius est tollere vitia ex aliorum libris, quam mentibus propriis? Nemo sanus hoc dixerit; quia ratio et et religio cuivis dictant, quod legimus inter opera sancti BERNARDI: *Unicuique liber est sua conscientia: et ad hunc librum discutiendum, et emendandum omnes alii libri facti sunt. Libro posteriore de Conscientia;* cujus auctorem non habeo compertum.

CAPUT

CAPUT XIV.

Cognitio editionum.

Si placeret, non dico compendiaria, ſed præceps via, poteram hic partem magnam regularum duobus verbis abſolvere. Et ſatis erat monuiſſe: *Cura, ut ejus habeas optimam editionem, ad quem legendum accedis. Nam editor ejusmodi non perfunctorie verſatur in negotio ſuo; ſed cum defertur ad difficilem locum, cujus debet explicata ratio ab arte Critica peti, admonet diligenter, facitque omnia, ut inde lectorem expediat.* Hac inquam cautione ſola tam de iſto, quam quatuor ſuperioribus capitibus transactum erat breviſſime: ac licebat deſultorium in morem ad ſequentia transire quamplurima prætervectis. Si enim jam ſua ætate vir clariſſimus PETRUS DANIEL HUETIUS exiſtimavit, Criticæ artis neceſſitatem tantam non eſſe; quod veteres præcipuos qua ſacros, qua profanos curate editos, imo illuſtratos, habeamus *; quanto magis hodie videatur carere nos illa poſſe? Verum enimvero, præterquam, quod omnia ineſſe editionibus optimis, non eſt univerſe verum, editores multi vocantur optimi, non tanquam ex merito, propter præſtantiam ipſius operæ; ſed comparatione deteriorum, qui non ſunt feliciter in eodem negotio verſati. Neceſſe eſt igitur facere delectum inter editiones: poſitoque omni ſtudio partium, cui cum Critica nusquam

Compendiaria via præcipiendi de editionibus.

* *In Huetianis num. 23.*

quam convenit, fateri ingenue, quid ſit in ſingulis probandum, quid improbandum. Juniores, ut valeant ingenio, ac facultate reminiſcendi, tamen uſum diſcernendi non habent: et ampliſſimo in argumento non ſunt pares tot rebus ſine duce verſandis. Accedit, quod eſt cognata huic ætati incogitantia; qua fit, ut, cum magno ſtudio ferantur ad legendum, hoc minorem prudentiam adhibeant, et operis ſumma contenti ceterorum modicam habeant rationem. Sic autem neceſſe eſt evenire, ut, quod primo ſe obtulit, arripiant pro comperto, temporisque ſummo diſpendio terant diutius vitioſas editiones; harumque cauſa nec cogitantes et ſibi faciant fucum, et aliis.

§. I.

Monita, quæ ſpectant primas, et medias editiones.

Editionum primarum decus primum; quod non debet extendi ad omnes.

Veteres primasque editiones in cœlum laudibus vehunt. Et vero merentur fidem, ſive Græcorum hæ ſint, ſive Latinorum. Nam inter typorum incunabula exceptæ e probis codicibus reddunt veram imaginem auctorum ſuorum; ut recte videantur facere præfecti Bibliothecarum, qui impendio has ſervant, ac cura nihilo minore, quam ſcriptos libros. Poſſunt enim in raritate tanta illorum vices ſupplere. Neque tamen de omnibus ejusmodi typis hoc velim intelligi. Et quis alius inducat in animum; quando interdum vel teſtem non habet, vel videt ſibi opponi ratio-

rationem, cur ne potuerit quidem id fieri? Videtur mihi extra dubium, editores quosdam, cum haberent copiam trium, vel quatuor codicum, præcipue hoc usos, qui haberet litteras extantes, lectuque facillimus esset. Quod si ceteros consuluerunt, tunc est factum, cum incidissent in locum obscurum. Richardus Simon, diribitor acerrimus harum rerum, et qui nunquam se patitur impediri religione adversum reliquos sentiendi *Tomo I. Bibliothecæ Criticæ cap.* 17. contentius inficiatur contra Caveum, manuscripta optime esse initio expressa. Norat autem et nostro Sæculo, et superiore prolata præstantiora; quæ essent in edendo secuti expertissimi homines successu optato. Sic nempe restituti sunt multi auctorum, et faciem aliam induerunt, qua possint tandem agnosci. Ego qui hac de re sum persuasus, exemplum de meo proferam. Alii alia habebunt, ut cuique suppeditat propria experientia. S. Paciani editionem primam curavit Joannes Tilius, Briocensis Episcopus *Parisiis* 1538. sed e codice tam pravo, ut sæpius divinatione nulla venias ad tolerabilem sententiam in auctore, cujus omnia redolent elegantiam. Certe cum primum legerem, abjeci non semel, desperata tot locorum correctione. Accessi post Joannem Fridericum Gronovium, qui *libro Observatorum in Scriptores Ecclesiasticos cap.* 8. se torquet vehementer, quo possit efficere, ut quædam recipiant significationem planiorem. Frustra fuit; vir enim eruditus non vidit

vidit editionem, a Petro Galesinio, et Paulo Manutio *annis sex supra viginti post Tilium Romæ factam.* Quamquam nec ibi sunt omnia emaculata: et servatum hoc est Eminentissimo d'Aguirre, qui dum collegit *Concilia Hispaniæ*, ex Bibliotheca Vaticana protraxit codicem nongentorum, ac amplius annorum; e quo cum esset eleganti charactere, emendati sunt ducenti, et plures loci in tam tenui volumine, quod impressum forma maxima vix redhibeat septem paginas. In tanto numero erratorum pauca repræsento.

Ex parænesi ad Pœnitentiam.

lætatur, pariter dolet	*pro*	lætatur, imo pariter dolet.
incuriis	—	incurvis.
retracti	—	retractatis.
Æthna, et Lisaniculus	—	Æthna Siculus.
Scola vestiti	—	stola vestiet.

Ex Epistolis ad Sympronianum.

Secundum phygas te assensisse	*pro*	secundum Phrygas te sensisse.
et Græcus Blastus	—	et Græcus, et Blastus.
et de Catholico nomine	—	et hoc de Catholico nomine.
quomodo admirantibus	—	quoquomodo adjurantibus.
nullus intus	—	nullus inventus.
habet	—	debet.
idonei non fuerint	—	idonei fuerunt.
ubi	—	ubique.

omnia

omnia nuncupatur	*pro*	omnium nuncupatur.
obedientiam	—	inobedientiam.
per obeditionem	—	per dicto audientiam.
vanegiata	—	varietate.
et qui	—	est, qui.
num Babylonium	—	non Babylonium.
Tiathytenis	—	Tyathirensis.
possidentur	—	possideamur.
nocere	—	nosse te.
nisi quia ut	—	nisi ut.
Tunc secundis quidem litteris	—	Tu ne secundis quidem litteris.

Mox inter vocem VIRGILII, *bis positam, voces sex omissæ sunt.* *

atqui ego	—	atqui nego.
quod	—	cum.
Sanctis Patribus	—	sanctis partibus.
ullis	—	illis.
utinam	—	ut namque.
palam fere	—	paleam auferre.
Episcopus impatiens	—	episcopatus impatiens.
renovatum	—	renatum.
collegio	—	colligo.
in medio Noë	—	in medio eorum, Noë.
partes in unum	—	partes omnes in unum.
secuti foetus	—	securi foetus.
prælatæ	—	perlatæ.

procul-

* Id quam sæpè fiat inter exscribendum, supra admonui.

proculcari	*pro*	inculcari.
potui	—	posui.
Si cujus	—	si quibus.
quisque miserabilis	—	ut quisque miserabilis.

Sed est plus quam satis mendorum in tam exili, quam pulchro libello. Plura possem ostendere in editionibus tenuissini opusculi *ad Virginem lapsam,* quæ *Maurini* emendarunt *in editione* AMBROSII, cui hoc olim tribuebatur.

Decus alterum. Decus alterum in primis Editionibus est, quod produnt majorem diligentiam, quam quæ illas sunt consecutæ. Curatores typorum neque pretio, neque labori parcebant, ut venirent omnia quam integerrima ad lucem. Nam et ipsi coluere litteras, et correctoribus sunt usi non petitis e trivio, ut hodie solet. Quidam illorum erant magna eruditione, ipsaque scientia veterum linguarum instructi. Ita DANIEL BOMBERGIUS, qui VENETIIS *Polyglotta* excudit, Hebraicam callebat exacte, et aliis multis tradebat maxima laude. ERHARDUS RATDOLT disciplinis Mathematicis studebat. JODOCUS BADIUS, quem *Ascensium* dicunt, fuit teste Erasmo inter doctissimos homines, ac Parisiis græcum sermonem docuit. JOANNES OPORINUS eundem Basileæ, FRANCISCUS RAPHELENGIUS Leidæ Hebræum profitebatur. HIERONYMUM COMMELINUM dicunt virum quam gravem, tam doctum. MANUTIORUM, STEPHANORUM, PLANTINORUM, MORELLIORUM notissima ac varia est sive industria sive doctrina. Adde viros

ros clariſſimos, qui, ſive pretio inducti, ſive ſtudio publicæ rei, locabant operam in typo emendando. Ita JOANNES ANTONIUS CAMPANUS in Hahnii: JOANNES ANDREAS * in Schweinhemii, ac Pannarzii: FRANCISCUS JUNTA, celebris Mathematicus in Juntiana cognatorum ſuorum: HADRIANUS TURNEBUS in regia Pariſina: SIGISMUNDUS GELENIUS, et DESIDERIUS ERASMUS in Frobenii: THEODORUS in Epiſcopii, et aliorum: FRIDERICUS SYLBURGIUS in Wechelii, et Commelini: DAVID HÖSCHELIUS in Welſeri ** officinis corrigebant. Vide *Joannis Conradi Zeltneri Theatrum eruditorum Correctorum;* nam habet illorum integram centuriam; quamquam, quod ridiculum eſt, minime omnium correctam. Verbo dicam, munus hoc in tanto honore tunc fuit, in quanto nunc contemptu. ***

Decus tertium, cujus tamen eſt uſus longe minor quam quidam jactant.

Tertio, ac præcipue a Proteſtantibus, laudatur in primis Editionibus, quod nondum natis de Fide controverſiis et diſcidio religionum, cauſa non ſuberat, cur pars alterutra in excudendo fraudem admitteret. De his ergo nunquam dicas, quod de ceteris audimus toties: *Quædam interpolata*:

* Epiſcopus Alerienſis apud Corſos.

** Quæ habet inſigne *Pinus*, quod eſt urbis Auguſtanæ.

*** Commodum quoque hic conſules *Joannis Caroli Bequignole Diſſertationem Epiſtolicam de ſtatu Typographiæ ſuperiorum temporum ad hodiernum comparato* 4. *Halæ Magdeburgicæ* 1740: quique fuit primo laudandus, *Michaëlis Mattairii Annales Typographicos*, quos *Schwarzius*, aliique plures ſupplementis ad hanc diem maximis auxerunt.

istuc truncatum, hoc corruptum est: illud omnino suppressum! Ut hæc omnia sint verissima, tamen ego editiones novas, cum habent dignos auctores, veteribus longe prætulerim. Cujus rei habeo duplicem rationem: quamque nemo refellet, qui cognoverit.

Prima est, quod initio paucissima prodierunt, quæ pertinent ad Ecclesiasticos scriptores; videlicet Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Eusebii Cæsariensis, Cypriani nonnulla. Solus Lactantius, ut tum erat, integer comparuit. Sed etiam quæ majore copia Frobenius, Herwagius, Amerbachius, duo Manutii post dederunt, non efficiunt uberem messem. Hæc cæpit primum excrescere cum Stephani [a], Plantinus, Commelinus, Savilius, Morellii etc. accesserunt. Quod autem *Guilielmus Cave in Prolegomenis ad Scriptorum Ecclesiasticorum Historiam litterariam, sectione VII.* admonet, hanc laudem editionum desinere, quando coepit Tridentinum Concilium, memoria illum destituit diffidentia rerum nostrarum. Nam ipsæ quas effert, ac commendat sive hoc loco, sive decursu operis, in oculis omnium lectorum prorsus oppositum ostendunt. Quos enim id loci celebrat? Nonne

Plane pugnantia, loquentes.

Manutianas, Savilianas, Vitrianas, Stephanianas, Elmenhorstianas, Cromoisianas, Plan-

[a] Operibus Patrum Græcorum, quæ Robertus Stephanus emisit, nil simile, sive typum, sive chartam, sive curam spectes. Solus fere Chrysostomus Savilianus cum eo contendere possit.

Plantinianas, Morellianas, Petitianas, Commelinianas, Sonnianas, Pigetanas, Wechelianas, Nivellianas, du-Puiſanas, ceterasque omnes, quæ ex regiis typis Pariſienſibus prodierunt? Quod ſi a laudibus operarum venio ſeorſim ad ipſos curatores, de quorum cura frequentius commemorat? Nempe de ſummorum hominum

Jacobi *Billii*,	Friderici *Sylburgii*,
Petri *Pithoeci*,	Frontonis *Ducæi*,
Henrici *Savilii*,	Davidis *Höſchelii*,
Andreæ *Schotti*,	Papirii *Maſſoni*,
Danielis *Heinſii*,	Jacobi *Sirmondi*,
Matthæi *Raderi*,	Franciſci *Combefiſii*,
Dionyſii *Petavii*,	Nicolai *Rigaltii*,
Henrici *Valeſii*,	Franciſci *Scorſi*,
Joannis *Auberti*,	Gilberti *Mauguini*,
Petri *Poſſini*,	Lucæ *Dacherii*,
Joannis *Garnerii*,	Petri Danielis *Huetii*,
Joanns Georgii *Pritii*,	Joannis Baptiſtæ *Cotelerii*,
Stephani *Baluzii*,	Ludovici Eliæ *Dupini*,
Stephani *Chamillard*,	Joannis *Mabillonii*,

Ceterorum *Benedictinorum*, qui erant *de Congregatione S. Mauri*.

Atqui et editiones, et editores, quos nunc audiſti, ſi non omnes abſoluto, certe coepto, et continuato Tridentino juniores ſunt: tantoque numero, ut, qui illud Concilium anteceſſerunt, nec centeſimam illorum partem efficiant; quando unus ſæpe emiſit plura diverſorum opera. Quot enim

 per

per Deum! dederunt Schottus, Petavius, Possinus, Dacherius, Mabillonius, Baluzius. De Jacobo Sirmondo unice dicam; qui præter opera Theodoreti varia, quam numerosa habet *Collectionem Patrum*, *et Monumentorum Ecclesiasticorum*, quæ juncta a *Jacobo de la Baune* implent quinque volumina maximæ formæ. Neque tacendum est ad calcem hujus indicis, quod in eo de industria Protestantes miscui, et Catholicos; quia dictu ridiculum foret, studium partium in hos solos cadere.

§. II.

Monita, quæ pertinent ad Editiones novas, ac novissimas.

Commoda novarum editionum præ aliis.

Quidquid ex ignoratione, vel odio obtrectetur, certissimum est, editiones novas, ac novissimas longe præstare mediis ac primis. Cujus rei tam idoneas, tam multas habeo rationes, ut dubio nec locum relinquant, cum loquimur universe. Nam

1. vel completæ sunt, vel habent, quæ poterant habere, cum lucem viderunt.
2. Opera omnia collocant ordine temporum, quo sunt perscripta. Quod si istuc non observent, solummodo accidit in opusculis, quorum ætas nescitur.
3. Non solum addunt auctoris vitam, sed etiam cetera expediunt, quæ possint ad librorum majorem usum quid conferre.
4. Cuilibet libro præmittunt Monitum.

5. Ar-

5. Argumentum ipſum ſic declarant, ut laborem legendi levent magnopere.
6. Subjiciunt notas, ac obſervationes, quæ mirifice faciant ad intelligentiam; ſed etiam accomodationem, fructumve quemlibet ampliorem.
7. Addunt variantes Lectiones; quæ res habet ingens commodum. Sic enim præter typos habemus ipſa manuſcripta, ſi quando diſſentiant. Quare inanes ſunt quorumdam querimoniæ, cum dicunt editorem non ſequi præcipuum, vel puriſſimum codicem. Ut enim dem (quod eſt in quæſtione) quid obeſſet legentibus, quando eadem pagina ob oculos habes, quidquid differt a ceteris codicibus? Ut fatear ingenue, hac de re nimium, ne dicam inaniter tumultuatum eſt adverſus editionem *Maurinam* AUGUSTINI. Quoties enim recordor controverſiæ, quæ hos monachos cum noſtris colliſit, ſic reputo apud animum meum: *Nullum codicem ſcriptum præterierunt, cujusque lectionem ad oram ſubjecerunt; verbo liberarunt fidem ſuam. Qui enim decipere vult, non aperit, ſed tegit illa, in quibus poſſit deprehendi.* *

8. In-

* Dum hæc ſcribo, accipio recentem librum, *Disquiſitiones Critico-Philoſophiæ, et Hiſtoriæ* FRANCISCI ROBERTI, qui *anno* 1781. *Romæ* 8. *maj.* prodierunt. Harum *ſeptima* agit *de Maurinorum editionibus*: et quæ ultro citroque diſputata ſunt, refert magno candore. Ego, poſtquam hanc percurri, capite dudum abſoluto, nil ideo reperi, quod a ſententia me mea abducat. Quidquid peccatum eſt, per illam cautionem adjectarum *variantium Lectionum*, nunquam poteſt ad rei ſummam pertinere.

8. Indices habent non solum copiosos, sed etiam præclaros, qui via, qui ordine procedant, possintque in rebus Historicis, et Theologicis perpetuo esse adjumento. Quod utinam scirent, qui toties tempus terunt in paginis vertendis! Tam sunt sibi ac libris molesti, de quibus sæpe dicebam: *Non solum reperire, sed ne quærere quidem noverunt.*

Ex his quisque videt, quas dixi, editiones et habere commoda superiorum, et his adjicere multa alia, quæ ibi frustra requiruntur. Certe est genus felicitatis in illas incidere; quando qui hoc consecutus est, possit magna ex parte his regulis absque incommodo carere. Quod cum quis audit, ne existimet, esse sermonem de quovis typo iterato. Quid enim juvat habere te editorem optimum, sed perperam cum agmine magno erratorum recusum? Vidi quædam hujus generis in *Germania*, et *Venetiis* de integro impressa tam mendose, ut nec pro ceteris vellem obligare fidem meam Inde quidquid pecuniarum impenditur in tales libros, velut furto ablatum haberi debet, damnisque rei familiaris adscribi.

§. III.

§. III.

Editiones quæ optimæ habentur nullo discrimine vel ætatis, vel typorum. *

Patrum, et Scriptorum Ecclesiasticorum ordo alphabeticus.

ADAMI *Magistri* editio optima	a Joanne Joachimo Madero.
ADELMANNI	*habetur apud S. Gaudentium Brixiensem.*
ÆNEÆ GAZÆI	a Gaspare Barthio.
AGAPETI *Diaconi*	a Joanne Augustino Grœbelio.
ALVARI *Cordubensis*	in Floresii *Hispania sacra Tomo XI.*
AGATHIÆ	*inter Scriptores Historiæ Byzantinæ Parisiis* 1760.
AGOBARDI	a Stephano Baluzio.
AIMONII	a Jacobo du Breul.
ALCUINI	a Frobenio Forster.
AMBROSII	a Maurinis.
AMOLONIS	a Stephano Baluzio.
AMPHILOCHII	a Francisco Combefis.
ANDREÆ *Cretensis*	a Francisco Combefis.
ANSEGISI, et BENEDICTI *Levitæ*	a Jacobo Sirmondo.
ANSELMI *Cantuariensis*	a Gabriele Gerberon.
ANSELMI *Havelburgensis*	a Luca Dacherio.
ANSELMI *Lucensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.

* Nam per se patet, inter Exempla optimarum diversa debere illam præferri, quam vocant *originalem*, nisi sequens sit plenior, neque minus emendata.

ANTONII *Abbatis*	ab Andrea Echellensi.
ANTONII *Melissæ.*	a Frontone Ducæo.
ARNOBII *Senioris*	a Claudio Salmasio.
ARNOBII *Junioris*	nondum collectæ sunt scriptiones.
ASTERII	a Francisco Combefis.
ATHANASII	a Maurinis.
ATHENAGORÆ	a Maurinis.
ATTONIS	a Carolo Burontio.
AUGUSTINI	a Maurinis.
quorum dispersa opera AVITI	a Jacobo Sirmondo.
BACHIARII	a Francisco Florio.
BARNABÆ	a Joanne Baptista Cotelerio *in Patribus Apostolicis.*
BASILII *Magni*	a Maurinis.
BASILII *Seleuciensis*	a Claudio Dausqueio.
BEDÆ	a nescio quo *Coloniæ* 1688.
BERNARDI	a Maurinis.
BERNARDI *Morlanensis*	ab Eilhardo Lubino.
BOËTHII	ab Henrico Lorito Glareano *Basileæ* 1570.*
BONIFACII	nunc maxime nova nuntiatur a Moguntinis.
BRAULIONIS	ab Emanuele Risco.
BRUNONIS *Astensis*	a Mauro Marchesio.
BRUNONIS *Carthusiani.*	a Theodoro Petreio.

BRU-

* Antiquissimam *Venetam* 1491. non memini me vidisse; et Gothica est haud dubie.

BRUNONIS *Historici*	*in Scriptoribus rerum Germanicarum editionis Argentoratensis* 1717.
CAESARII *Arelatensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
CAPREOLI *Carthaginensis*	a Jacobo Sirmondo.
CASSIANI	ab Alardo Gazæo *Atrebati* 1628.
CASSIODORI	a Maurinis.
CLEMENTIS *Alexandrini*	a Joanne Pottero.
CLEMENTIS *Romani*	a Joanne Baptista Cotelerio *in Patribus Apostolicis*.
COLUMBANI	a Patricio Flemmingo.
COMMODIANI	a Jacobo Davisio.
COSMAE *Pragensis*	*in Menckenii Scriptoribus rerum Germanicarum Tomo III. a pag.* 1771.
CYPRIANI	a Stephano Baluzio, et Prudentio Maran.
CYRILLI *Alexandrini*	a Joanne Auberto.
CYRILLI *Hierosolymitani*	a Maurinis.
DAMASI	ab Antonio Maria Merenda.
DIONYSII, dicti *Areopagitæ*	a Balthasare Corderio.
DITHMARI	a Gottfrido Guilielmo Leibnitio *Tom. I Scriptorum Brunsvicensium.*

DORO-

hucusque nemo collegit. DOROTHEI	a Balthasare Corderio.
EADMERI	a Gabriele Gerberon *in editione Anselmi.*
ENNODII	a Jacobo Sirmondo.
EPHRAEMI	a Petro Benedicti, et duobus Assemanis.
EPIPHANII	a Dionysio Petavio.
EUCHERII	nondum collectæ sunt scriptiones.
EUGENII *Toletani*	a Jacobo Sirmondo.
EULOGII *Cordubensis*	ab Ambrosio Morales.
EUSEBII *Cæsariensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
EUTHYMII	nondum collectæ sunt scriptiones.
FAUSTINI *Presbyteri*	a Jacobo Sirmondo.
FAUSTI *Rejensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
FERRANDI *Diaconi*	a Francisco Chifletio.
FIRMICI	a Joanne Wowerio.
FLODOARDI	nondum collectæ sunt scriptiones.
FLORI *Magistri*	nondum collectæ, certæque sunt scriptiones.
FRECULPHI	apud Commelinum.
FRODAE	ab Andrea Bussæo *Hafniæ* 1744.
FULBERTI *Carnotensis*	a Carolo de Villiers.
FULGENTII	a Luca Urbano Mangeant.

GAU-

GAUDENTII	a Paulo Galeardo.
GENESII	a Stephano Berglero.
GEORGII *Nicomedienſis*	a Franciſco Combefis.
GEORGII SYNCELLI	*inter Scriptores Byzantinos Pariſiis* 1652.
GILDAE	a Thoma Gale *Tomo I. Scriptorum Hiſtor. Britann.*
GOFFRIDI *Vindocinenſis*	a Jacobo Sirmondo.
GREGORII *Magni*	a Maurinis. Novam Joannis Baptiſtæ Galliccioli *Venetiis* 1777. nondum vidi.
GREGORII *Nazianzeni*	a Maurinis.
GREGORII *Nyſſeni*	a Frontone Ducæo, et Jacobo Gretſero.
GREGORII *Thaumaturgi*	cum Macario Ægyptio, Baſilio Seleucienſi, et Zonara *Pariſiis* 1621. ubi Billii, et Ducæi Notas habes.
GREGORII *Turonenſis*	a Maurinis.
GUIBERTI *de Novigento*	a Maurinis.
GUIGONIS *Carthuſiani*	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.
HAYMONIS	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.
HENRICI *Huntindonienſis*	*in Henrici Savilii rerum Anglicarum Scriptoribus.*

HER-

Hermae	a Joan. Baptista Cotelerio *in Patribus Apostolicis.*
Hermiae	a Maurinis.
Hesychii	nondum collectæ sunt scriptiones.
Hieronymi	a Domino Vallarsio.
Hilarii *Arelatensis*	a Fratribus Balleriniis *in Leone Magno*, vel a Joanne Salinas.
Hilarii *Diaconi*	a Maurinis in Ambrosio, et Augustino.
Hilarii *Pictaviensis*	a Scipione Maffæi.
Hildeberti *Cenomanensis*	a Maurinis.
Hincmari	a Jacobo Sirmondo, quem auxerunt Cellotius, Labbæus, Harduinus.
Hippolyti	a Joan Alberto Fabricio.
Honorii *Augustodunensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
Hugonis *Flaviacensis*	a Philippo Labbæo.
Hugonis *Floriacensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
Hugonis Victorini	nullo judicio, delectu, ordine est facta.
Jacobi Nisibitae	a Nicolao Antonelli.
Ignatii *Martyris*	a Joanne Baptista Cotelier *in Patribus Apostolicis*, accesserunt aliæ præstantes editiones.

Ilde-

Ildephonsi	nondum collectæ sunt scriptiones.
Joannis *Chrysostomi*	a Maurinis.
Joannis *Damasceni*	a Michaële le Quien.
Joannis *Climaci*	a Matthæo Radero.
Jornandis	a Josepho Antonio Saxio *Tom. I. Scriptor. rerum Italicarum Muratorii.*
Irenaei	a Maurinis.
Isidori *Hispalensis*	nuper *Madriti ab anno* 1778.
Isidori *Pelusiotæ*	nondum collectæ sunt scriptiones. *Satis est saltem nomina sola*
Juliani *Pomœrii*	nondum collectæ sunt scriptiones.
Juliani *Toletani*	nondum collectæ sunt scriptiones.
Ivonis *Carnotensis*	a Joanne Baptista Sonchet.
Justini	a Maurinis.
Juvenci	a variis juncta opera *Altorfii* 1710.
Lactantii	a Joan. Baptista le Brun, et Nicolao Lenglet du Fresnoy.
Lamberti *Schaffnaburgensis*	a Joanne Pistorio *Tomo II. Scriptorum rerum Germanicarum.*
Lanfranci	a Maurinis.

Lean-

LEANDRI	nondum collectæ sunt scriptiones.
LEIDRADI	a fratribus Balleriniis.
LEONIS *Magni*	a Ludovico Antonio Muratorio *Tom. IV. Scriptor. rerum Italicarum.*
LEONIS *Marsicani*	et quæ pertinent ad eum,
LEONTII *Byzantini*	nondum collectæ sunt scriptiones.
LEONTII *Cyprii*	nondum collectæ sunt scriptiones.
LIBERATI	a Joanne Garnerio.
LUCIFERI *Calaritani*	a Joanne Dominico et Jacobo Coletis.
LUITBRANDI	ab Hieronymo de la Higuera, et Laurentio Ramirz.
LUPI SERVATI	a Stephano Baluzio.
MACARIORUM	a Joanne Georgio Pritio.
MARBODI	a Maurinis cum Hildeberto Cenomanensi.
MARCELLINI *Comitis*	a Jacobo Sirmondo *Tom. II. operum.*
MARCI *Eremitæ*	nondum collectæ sunt scriptiones.
MARCULPHI	*Tom. IV. rerum Gallicar. Bouqueti.*
MARIANI SCOTI	a Burchardo Gotthelf Struvio in Pistorii *Scriptoribus rerum German. Tom. I.*

MARII

MARII MERCATORIS	a Joanne Garnerio.
MARTINI *Bracarensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
MAXIMI *Martyris*	a Francisco Combefis.
MAXIMI *Taurinensis*	a Ludovico Antonio Muratorio.
METHODII	a Francisco Combefis.
MINUTII FELICIS	a Joanne Davisio.
NEMESII	a Joanne Fell; certe *ex Theatro Sheldoniano Oxonii* 1671.
NICEPHORI *Bryennii*	a Petro Possino, *ad calcem Procopii in corpore Byzantino.*
NICEPHORI *Patriarchæ*	nondum collectæ sunt scriptiones.
NILI *Abbatis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
NILI *Doxopatri*	a Stephano le Moyne *in variis sacris Tom. I.*
ODILONIS	in Bibliotheca Cluniacensi.
OPTATI *Milevitani*	a Ludovico Elia Dupino.
ORDERICI VITALIS	ab Andrea du Chesne *in Scriptor. Hist. Norman.*
ORIGENIS	a Carolo de la Rue.
OROSII	a Sigeberto Havercampo.
OTTONIS *Frisingensis*	a Christiano Urstisio *Tom. I. Historic. German.*
PACIANI	a Cardinale d'Aguirre.

PALLADII	a Joanne Meurſio *Tomo VIII. operum.*
PASCHASII RADBERTI	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.
PAULINI *Aquileienſis*	a Joanne Franciſco Madriſio.
PAULINI *Nolani*	a Joanne Ludovico Muratorio.
PAULI *Bernriedenſis.*	a Gretſero, Papebrochio, Mabillonio, Muratorio.
PAULI WARNEFRIDI	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.
PETRI ABAELARDI	ab Andrea du Chesne. *Quædam addidit Martene, et Pezius.*
PETRI CHRYSOLOGI	a Sebaſtiano Pauli.
PETRI *Cluniacenſis*	in Bibliotheca Cluniacenſi.
PETRI *Damiani*	a Conſtantio Cajetano.
PETRI *Diaconi*	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.
PETRI *Siculi*	a Matthæo Radero.
PHILASTRII	a Paulo Galeardo.
PHOEBADII	a Gaſpare Barthio.
PHOTII	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.
POLYCARPI	a Joanne Bapt. Cotelerio *in Patrib. Apoſtolicis.*
POSSIDII	a Joanne Salinas.

PRAEDESTINATI *Anonymi*	a Joanne Sirmondo.
PROCLI	a Vincentio Riccardo.
PROCOPII *Historici*	nondum collectæ sunt scriptiones.
PROSPERI	a Luca Urbano Mangeant.
PRUDENTII	a Stephano Chamillard. *hic adscribere.*
RABANI	a Georgio Colvenerio. Plura post reperta sunt.
RADULPHI *Glabri*	nondum collectæ sunt scriptiones.
RATHERII	a fratribus Ballerinis.
RATRAMNI	nondum collectæ sunt scriptiones.
REMIGII *Antisiodorensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
REMIGII *Lugdunensis*	a Gilberto Mauguino.
ROSWITHAE	ab Henrico Leonardo Schurzfleischio.
ROBERTI PULLI	ab Hugone Mathoud.
RUFINI	a Dominico Vallarsio.
RUPERTI *Tuitiensis*	a Michaële Pleunichio, et Gregorio Cannoni juncta opera.
RURICII	ab Henrico Canisio *in Lectionibus antiquis.*
SALVIANI	a Stephano Baluzio.
SEDULII	ab Henrico Joanne Arntzenio.
SIDONII *Apollinaris*	a Jacobo Sirmondo.

SIGEBERTI *Gemblacensis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
SIMEONIS *Junioris*	a Jacobo Pontano.
SIMEONIS *Metaphrastis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
SMARAGDI	nondum collectæ sunt scriptiones.
SOCRATIS, SOZOMENI cum reliquis Ecclesiasticæ Historiæ scriptoribus.	ab Henrico Valesio.
SOPHRONII	nondum collectæ sunt scriptiones.
SULPITII SEVERI	ab Hieronymo de Prato.
SYLVESTRI II.	nondum collectæ sunt scriptiones.
SYNESII	a Dionysio Petavio, *secunda vice.*
TAJONIS	ab Emanuele Risco.
TATIANI	a Maurinis.
TERTULLIANI	a Petro Priorio, tertia vice *Parisiis* 1675.
THEODORETI	a Jacobo Sirmondo, et Joanne Garnerio.
THEODORI *Abucaræ*	partim a Francisco Turriano, et Jacobo Gretsero, partim ab Andrea Arnoldo.
THEODORI *Prodromi*	nondum collectæ sunt scriptiones.

THEO-

THEODORI *Studitæ*	a Jacobo Sirmondo, et Jacobo de la Baume.
THEODULPHI *Aurelianensis*	a Jacobo Sirmondo.
THEOPHANIS *Ceramei*	a Francisco Scorso.
THEOPHILI *Alexandrini*	nondum collectæ sunt scriptiones.
THEOPHILI *Antiocheni*	a Maurinis.
THEOPHYLACTI	a Bernardo Maria de Rubeis.
TITI *Bostrensis*	a Francisco Turriano.
VALERIANI *Cimeliensis*	a Jacobo Sirmondo.
UDALRICI *Babenbergensis*	a Joanne Georgio Eccardo *Tom. II. Corp. Histor. medii ævi.*
VENANTII *Fortunati*	nondum collectæ sunt scriptiones.
VICTORIS *Tunnunensis*, cum Joannis Biclariensis Chronico	ab Henrico Canisio.
VICTORIS *Vitensis*	a Theodorico Ruinart.
VICTORINI *Marii*	nondum collectæ sunt scriptiones.
VIGILII *Tapsensis*	a Francisco Chifletio.
VINCENTII *Lirinensis*	a Stephano Baluzio, vel Joanne Salinas.
WALAFRIDI *Strabonis*	nondum collectæ sunt scriptiones.
WILHELMI *Malmesburiensis*	nondum coll. sunt script.

WITIKINDI	a Gottfrido Guilielmo Leibnitio *Tom. I. Scriptorum Brunſvicenſium.*
ZACHARIÆ *Mitylenenſis*	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.
ZENONIS *Veronenſis*	a Scipione Maffæi, et fratribus Balleriniis.
ZONARÆ	nondum collectæ ſunt ſcriptiones.

Hæ ſunt editiones optimæ; in quibus, rurſum dicam, nec ætatis, nec typi diſcrimen facio; editorem ſpectans, ejusque diligentiam, ac peritiam, quam cognitoribus probavit. Quod ſi recenſio in quibusdam eſt minus plena, ac fuit in Eloquentia Patrum *, per ſe liquet, ibi quosdam veniſſe in cenſum, qui non pertinent ad præſens inſtitutum. E contrario hic multæ occurrunt, quas ibi eadem de cauſa præterivi; quod eo non facerent; videlicet Hiſtoricos, et Canonum eccleſiaſticorum collectores.

§. IV.

Editiones aliæ, quæ quidem vel integræ non ſunt, vel minus perfectæ; adhiberi tamen ab his debent, quibus priores non ſunt in promptu.

Jam innui, pauciſſimis contingere, ut omnium ſcriptorum, qui pertinent ad ſacram vetuſtatem, habeant

* *Libro IX. Diſſertatione 1. de ratione Patres legendi.*

habeant præcipuas editiones. Nam et Bibliothecæ, ceteris valde instructæ, hic deficiunt: et quasdam vidi ex præcipuis, ubi non multæ, verum quamplurimæ desiderantur. Numerus tantus scriptorum, temporibus, locisque diversis emissus, non tantum ingenti sumptu, sed etiam labore constat: neque, qui Bibliothecis præsunt, in hoc foro tam versati sunt semper, ut possint cognitionem rei, quæ patet latissime, et præsidia petit varia, per se ipsi parare. Ergo, ut mihi faciendum annis pluribus fuit, quotquot his libris destituuntur, curare debent, ut saltem sit copia *Bibliothecæ Maximæ Patrum cum Auctariis Ducæi, Combefisii*: iisque omnibus *supplementis*, quæ *Dacherio*, *Mabillonio*, *Marteneo* aliisque pluribus debemus. Nam *I. Libro de Eloquentia Patrum* agmine magno advocavi eos: et hic non sunt singula seorsim repetenda. *De Bibliotheca Maxima, ejusque Auctariis.*

Eodem modo Historici, quorum principes nunc laudabam, partem magnam vel non habent nisi in magnis collectionibus, vel in istis saltem recusi prostant. Quæri proin debent inter Scriptores *De corporibus, ut vocant, Historicis.*

Rerum Byzantinarum,
Rerum Francicarum,
Rerum Germanicarum,
Rerum Italicarum,
Rerum Britannicarum etc. etc.

Nam *corpora* hæc, ut vocant, licet pretiosa, simul parantur a Bibliothecariis; contra varii velut dispersa membra hinc inde colligi debent ex re-

 motissi-

motiſſimis locis. Accedit, quod priora pompam faciant, longaque ſerie voluminum grandium præcipuo ornamento ſint; ceteri deliteſcant in turba, ac ſpeciem multo minorem gerant. Inde fit, ut junctos et grandiores Tomos, quos dixi, frequentius reperias, quam ſolitarios auctores, curatius emiſſos.

Poſt noſcendæ editiones ſecundi ordinis, ac minime nunc ſpernendæ; quia, etſi non habent ſummam commendationem, tamen laude ſua fruſtrari minime poſſunt: et illis ſupplementis adjectis continent pleraque ad noſtram lectionem requiſita. Sunt autem

Notandum, harum editionum ſecundi ordinis.

Adamus *Magiſter*	Lindenbruchii.
Æneas Gazæus	Joannis Wolfii.
Agapetus *Diaconus*	Schveningi.
Agathias	Vulcanii Lugd. Batav. 1594.
Alvarus *Cordubenſis*	Ambroſii Moralis.
Ambrosius	Gillotii, vel Coſterii.
Anselmus *Cantuarienſis*	Maynaudi, vel Picardi, præſertim 1612.
Antonius *Meliſſa*	apud Lugdunenſes 1609. vel Tiguri 1536.
Arnobius *Senior*	Priorii *, Heraldi, Elmenhorſtii, Stevechii, Canteri.
Asterius	Rubenii.

Atha-

* *Ad calcem operum Cypriani, Pariſiis 1666.*

Athanasius	Nannii *apud Commelinum* 1601. *Lipsiensis, sive ut mentiuntur, Coloniensis* 1686. nulli est usui.
Athenagoras	plurium.
Augustinus	Lovaniensium, vel Erasmi.
Barnabas	Dacherii, vel Isaaci Vossii.
Basilius *Magnus*	Ducæi.
Bernardus	Horstii.
Bernardus *Morlanensis*	*Rinteliæ* 1626. vel *Luneburgi* 1640.*
Boëthius **	*Basileensium prior* 1546.
Bonifacius	Serarii.
Bruno *Carthusianus*	Jodoci Badii Ascensii *Parisiis* 1524.
Cassianus	Ex repetitis aliquot typis Gazæi.
Clemens *Alexandrinus*	Sylburgii.
Clemens *Romanus*	Junii.
Commodianus	plurium.
Cosmas *Pragensis*	plurium; sed prior Freheri non est tota.
Cyprianus	Felli, Priorii, Pamelii etc.

R 5 Cyril-

* Recusus scilicet ex editione Lubini, quam optimam supra dixi.

** Imo præstat habere pro nostra lectione *Lugduno-Batavam editionem* 8. 1671. ubi *Consolatio et opuscula sacra* seorsim impressa sunt.

CYRILLUS *Hierosolymitanus*	Prevotii, Petavii, Millesi.
DAMASUS	ex sæpe repetito typo Sarrazani.
DITHMARUS	Maderi.
EADMERUS	inter opera Anselmi, cui tum supponebatur.
ENNODIUS	Schotti.
EPHRÆM	Vossii.
FIRMICUS	quibusdam editionibus Minutii Felicis, et Cypriani adjectus.
FRECULPHUS	Coloniensium 1539.
FULGENTIUS	Sirmondi, Pirkheimeri *Hagenoæ* 1520.
GILDAS	Josselini *Londini* 1568. et *Heidelbergæ* 1587.
GREGORIUS *Magnus*	Gussanvillæi.
GREGORIUS *Nazianzenus*	Billii.
GREGORIUS *Thaumaturgus*	Gerardi Vossii.
GREGORIUS *Turonensis*	Morellii 1561.
HERMAS	Russelii, Clerici, Barthii.
HIERONYMUS	Maurinorum, vel Tribbechovii, vel Victorii.
HILARIUS *Arelatensis*	Quesnelli, Barralis.
HILARIUS *Pictaviensis*	Maurinorum, vel Erasmi.
IGNATIUS	plurium, qui veras Epistolas secreverunt.

Plurimos etiam haberi in Bibliotheca Maxima Lugdunensi;

JOAN-

JOANNES CHRYSOSTOMUS	Ducæi, et Commelini.
JOANNES *Damascenus*	Billii.
JORNANDES	Vulcanii, vel magis Lindenbrogii.
IRENAEUS	Feuardentii, præsertim ex tertio typo Parisiis, cum notis variorum: aut magis Grabii *Oxoniæ* 1702.
ISIDORUS *Hispalensis*	Jacobi du Breul.
JUVENCUS	in collectione veterum Poëtarum Ecclesiasticorum *Basileæ* 1562.
LACTANTIUS	Bünemanni, Walchii, Galæi, atque aliorum.
LAMBERTUS *Schaffnaburgensis*	Basileensium, vel Argentoratensium.
LEO *Magnus*	Cacciarii, vel Quesnelli.
LUCIFER *Calaritanus*	Tilii.
LUPUS *Servatus*	ex repetito typo Baluzii.
MARCELLINUS *Comes*	Sirmondi, extra collectionem operum seorsim editus: et a Scaligero *in Thesauro temporum* recusus.
MARCULFUS	Lindenbrochii, et Baluzii.
MARIANUS SCOTUS	Joannis Oporini *Basileæ* 1559.

MA-

	Marius *Mercator*	Baluzii.
	Maximus *Taurinensis*	Petri Galesinii, ac Pauli Manutii: sed etiam aliorum complurium,
Imo aliis quoque minoribus, ut Parisiensi, Coloniensi.	Minutius Felix	Rigalti, Woweri, Cellarii, Lindneri.
	Nemesius	Ellebodii.
	Optatus	sex probæ notæ typorum.
	Origenes	Huetii, Genebrardi.
	Orosius	plurium, ac maxime Francisci Fabricii *Moguntiæ* 1615.
	Otto *Frisingensis*	Argentorati 1515.
	Pacianus	Manutii.
	Palladius	Rosweidi.
	Paulinus Nolanus	Brunii, Chifletii, Sacchini, omnes probæ notæ.
	Paulus *Bernriedensis*	plurium, atque optimæ notæ.
	Petrus Chrysologus	Raynaudi, vel Mitæ prioribus typis.
	Petri *Cluniacensis*	Petri a monte Martyrum.
	Philastrius	Joannis Alberti Fabricii.
	Phoebadius	Petri Pithoei cum aliquot veteribus Galliæ Theologis *Parisiis* 1586.
	Polycarpus	plurium optimæ notæ.
	Possidius	plurium inter opera Augustini.

Pru-

PRUDENTIUS	Weitzii, Plantiniana, item Heinsii, Cellarii, omnes præstantes.
RATHERIUS	Dacherii.
ROSWITHA	*Norimbergæ* 1501.
RUFINUS	Barræi *Parisiis* 1580.
RUPERTUS *Tuitiensis*	Moguntinorum 1631. vel minus correctus *Parisiis* 1638.
SALVIANUS	Barbulii, Ritterhusii, Pithoëi, Gallesinii, et Manutii, Brassicani.
SEDULIUS	Gruneri, Cellarii, Jureti.
SIDONIUS *Apollinaris*	prior Sirmondi, vel secunda Savaronis, vel maxime illa Elmenhorstii Hannoviæ apud Wechelium 1617.
SOCRATES, SOZOMENUS, et ceteri Historici Ecclesiastici Græci	ex repetito Taurini, et Moguntiæ typo Valesii.
SULPITIUS SEVERUS	Clerici, Hornii, Forstii.
SYNESIUS	Petavii prima vice.
TATIANUS	plurium, ut Schilteri, Palthenii, Worthii.

TERTULLIANUS	Rigaltii primis vicibus, Pamelii, Rhenani, et nuperrime Semleri Sociniani.
THEODORETUS	Halenſium *ab an.* 1769.
THEOPHILUS *Antiochenus*	Joannis Chriſtophori Wolfii, vel Ducæi repetita *Oxoniæ* 1684.
VALERIANUS *Cimelienſis*	Mitæ, vel potius Raynaudi.
VICTOR *Tunnunenſis* cum JOANNE *Pictavienſi*	apud Schottum *Tomo IV. Hiſpaniæ*, et in Scaligeri *Theſauro temporum.*
VICTOR *Vitenſis*	Chifletii.
VIGILIUS	Caſſandri, qui putabat eſſe *Tridentinum.* *
VINCENTIUS *Lirinenſis*	et ipſe plures, eosque probos editores eſt nactus.
WITIKINDUS	itidem plurium bonorum editorum.
ZENO	etiam.

Poteram plures cumulare, ſi hæc res numero abſolveretur. Verum ego (ut aliis in rebus) delectum malo, quam copiam. Hic autem tanto magis, quod lectori non poſſum ubique ſecuritatem

* Cujus S. Martyris nihil extat.

tatem præſtare; quod in reliquis nec memoria me, nec quorumdam judicium fallat. Diffidentiæ cauſas nolo expromere; ſatis ſit pronuntiaſſe me de iſtis, quæ proprio, præſentique uſu habebam explorata; non nixa conjecturis popularibus, aut laudibus domeſticis, quæ in periculum fraudis adducunt. Neque eſt cordatus quisquam, qui velit mihi vitio vertere, quod neminem jubeo ſecurum eſſe, ubi ipſe non ſum. Nam vidi oculis meis, complures de his ſcribentes non verſari diligenter in negotio, per ſe difficili, ac implexo, quodque temporis partem magnam auferat eo unice intentis.

CAPUT XV.

Cognitio Codicum Manuſcriptorum.

Etiam qui caret manuſcriptis poteſt de bis optime judicare.

Equidem video hic lege mecum acturos non paucos. Sed maxime conclamabunt Friburgenſes, et Salisburgenſes et Viennenſes, ceterique minutorum Criticorum *, qui, ſicut a ceteris imparati, ſic in ipſo hoſpites graviſſimam quamque quæſtionem temeritate ſola abſolvunt: conclamabunt, inquam, quid ego hic de manuſcriptis præcipiam, quando mihi ex hac tota ſuppellectile nil ſit ad manus, quod poſſit quid juris tribuere ad pronuntiandum de tanta re; ut ideo in ventum abeant, quæcunque per loquacitatem,

* Deleri hæc volebat amicus, quod diceret, *ſecurum me ab his, quamdiu Latina ſcriberem.* In quo ille non fallitur. Nolui tamen inducere; quod eſſet jam liturarum plusquam ſatis in exemplari.

tatem, et intemperantiam linguæ nunc chartis illevissem. A quibus, si fieri potest, bona verba postulo! non utique mea causa, quam de integro hi rejicerent jure levitatis; sed viri ejus, qui vere κριτικώτατος vocetur; videlicet CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI. Sic autem iste *Commentationes de Arte Critica* §. *XXII: Illud unum hic objici mihi posse videtur, me frustra de usu M. SS. codicum disserere, cum eorum copia nemini sit, nisi cui illustres Bibliothecas adire permissum est. Ac fateor sane liberaliter, me nec ipsum ejusmodi antiquitatis reliquias possidere, nec in Bibliotheca versari iis instructa. Ceterum et me et alium quemvis hanc inopiam accusandi magnopere causam habere, prorsus nego. Quam multæ enim extant auctorum veterum editiones, in quibus variæ lectiones ex M. SS. collectæ exhibentur? Has qui ob oculos ponit, an non manuscriptos codices consulit? Parum enim interest, utrum ipse librum oculis usurpem, an alter, quid ibi legatur, mihi patefaciat. Equidem varias illas lectiones intueor, quotiescunque aqua mihi hæret in perlustratione auctoris cujuspiam: idque cum mihi haud raro profuerit ad veram scripturam inveniendam, tum maximæ voluptati est, sicubi ante in veram lectionem meditando incidi, quam codicum scripturam vel plane consentientem, vel non multum diversam, notam habui.* Heumanno LUCAM FRUTERIUM jungo, multo priorem, qui *Libro I Verisimilium suorum cap. 2.* sic habet in rem nostram: *Doctores hodie conquisitis passim scriptis codicibus auctoribus bonis eandem digni-*

dignitatem reddunt, quam ſuis aliquando temporibus habuerunt: aut, ſi id fallit, ingenio ſuo ad eam rem prudenter tractandam utendum judicant. Quæ ratio mihi (nam omnino libris manuſcriptis careo) pene ſemper ſequenda fuit. Nec pœnitet tamen conſilii; imo interdum juvat intelligere ab amicis meis, quibus manuſcriptorum feſtiva eſt copia, locum aliquem, quem ad illos miſeram, ita ſe habere in ſcriptis libris, ut ante multo conjeceram legi debere. Sed et alii codicibus carentes, aut certe deſerti ab his, cum in mendo omnes conſentirent, ex ingenio ſunt aggreſſi emendare Scriptores.

Eſt vero aliud quid addendum juſtiſſimæ excuſationi, quod video, et *Fruterii*, et *Heumanni* ſolertiam effugiſſe; videlicet litteratis eſſe copiam multorum librorum, quos qui ſcripſerint, contriverunt annos in omnibus verſandis, quæ pertinent ad auctorem emaculandum. Tales ſunt

Petrus VICTORIUS,
Hadrianus TURNEBUS,
Dionyſius LAMBINUS,
MANUTII duo,
Marcus Antonius MURETUS,
Jacobus BILLIUS,
Juſtus LIPSIUS,
CANTERI duo,
Caſpar BARTHIUS,
Joſephus Juſtus SCALIGER,

Cunradus RITTERSHUSIUS,
Claudius SALMASIUS,
Isaacus CASAUBONUS,
Paulus COLOMESIUS,
Hugo GROTIUS,
GRONOVII duo,
Petrus Daniel HUETIUS,
Joannes Georgius GRÆVIUS,
BURMANNI duo,
Joannes CLERICUS,
Joannes Augustus ERNESTI,

præter sexcentos alios; nam hic omnes recitare velle arduum, ne dicam ultra vires.

Ecce, quomodo nugas agant, qui nos postulant nugarum; quando qui codicem in manus non sumunt, levi brachio possunt ostendere, quomodo sint nævi ejus tollendi. Quid quod una opera, qua instituo lectorem in scriptis abstergendis, simul doceo corrigere typo excusa. Par est utriusque ratio; quia iisdem de causis in editos libros irrepunt gravissimi errores; debentque ope earumdem regularum emendari. Aut quo alio hic opus, quam ut operæ ex officinis in locum jam negligentium, jam rudium, jam audacium librariorum succedant? Experientia habeo, in typis non pessimæ notæ interdum ea legi, quorum nec obvia, nec inutilis sit emendatio; præsertim in propriis nominibus? Ad quædam hodieque hæreo, qua lectione accipiant sensum commodiorem.

Imo

Imo in pluribus fruſtra ſudavi: non habens, quod quærentibus reponerem, præter ingenuum illud: *Non perſpicio. Nihil ſuccurrit. Vix conjecturæ hic locus.* Diſceſſi igitur a perſanando loco deſperato; illud Poëtæ reputans:

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger:
Interdum docta plus valet arte malum. *

Aut dicet quis, omnes, qui excudunt, illis imperitiores eſſe, qui exſcribunt? Quod non video; ſuperlationem ſaperet, et quidem ejus generis, quod habet ſummam invidiam. Redeo jam, unde digreſſus ſum; et quidquid his videatur, magnopere contendo, licere cuivis lectionem ſcriptam, et editam, nec inſpecto autographo, ex æquo corrigere. Quod ſi intereſt aliquid, mihi melior videtur conditio typorum; quia liber excuſus, aut exemplari auctoris exceptus ignotæ manui multum præſtat opinione fidei, et diligentiæ. Quod ergo jus eſt regularum in libros recentiores, cur non ſit in monumenta vetera; quæ debebant utique injurias plures ſubire, dum ad nos perveniſſent? Si exemplaria e manu auctoris in manus alienas veniunt, veneruntque ſemper, ſecurius eſt illud, quod venit in pauciores. Scilicet, quod rurſum moneo, moderandum eſt tantiſper novæ ſapientiæ: ut qui accingunt ſe ad judicandum de

* *Ovidius Libro I. ex Ponto. Epiſtola 3.*

omnibus rebus, ſibi nusquam hoc ſumant, ut loquantur, priusquam cogitent.

Cum ergo, quod codices ſpectat, me ſatis purgaverim, nil obeſt, quo etiam deinceps hos appellam per decurſum, atque commendem lectoribus, qui ſacram antiquitatem noſſe, tractareque per ſe ipſi conſtituerunt. Quamquam hoc ita me facere profiteor, ut demptis, quorum id proprium inſtitutum eſt, malim recte impreſſa conſuli, quam tot horas, vel dies prodigere lectione ſcriptorum; præſertim quia plures ſunt, quorum oculi ob hebetudinem minime ferunt laborem, fugientes, inſuetasque litteras diutius contuendi.

Dicam ergo, quantum ſatis eſt, ne noſtri lectores prorſus hoſpites ſint in illa re, quæ cum ſtudio antiquitatis habet plurimum commercii. Etſi vero hoc genus litterarum numquam attingent, laudandum eſt tamen, vel ſummam ejus in capita digeſtam in promptu habere. Sunt enim quidam eventus fortuiti, certe improviſi, ubi magnopere quis vellet habere, quem conſuleret absque temporis diſpendio.

I.

Manuſcriptorum nomen.

Nomine *Manuſcriptorum*, quod omnes ſciunt, hic non intelligo libros chartæ ſimplici, verum membranis mandatos. Nam illa apographa ſunt, quæ magni non fiunt, velut partus ſæculorum poſtremo-

ſtremorum. Referendi quoque ad membranaceos ſunt papyracei e papyro Nilotica, cujus uſus ad usque Sæculum nonum permanſit.

II.

Horum pretium non eſt in ornatu: nec etiam a fama, vel infamia ejus, qui ſcripſit. Hæc extrinſecus adveniunt, neque pertinent ad uſum inde petendum. In quam ſententiam prudenter Hieronymus *Præfatione ad Jobum, ex Hebræo converſum: Habeant qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis, auro, argentoque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt litteris* * *onera magis exarata, quam codices; dummodo mihi, meisque permittant pauperes habere ſchedulas, et non tam pulcros codices, quam emendatos.* Quod ipſum repetit *Præfatione alia in eundem Jobum verſum e Græco*, ac emendatum. *Pretium.*

III.

Sed neque vetuſtas ſola manuſcripto pretium conciliat. De Francisco Toleto, Eccleſiæ purpurato, qui vir doctiſſimus et ſapientiſſimus fuit, fertur multorum ſermonibus, cum ei Fulvius Urſinas, vetuſtatis ultra modum ſtudioſus, oſtendiſſet Terentium ſummæ ætatis, exeſum tineis, ac temporum injuriis aliis ſic affectum, ut legi vix *Cultus nimius.*

* Unciales litteræ non ſunt eædem cum *initialibus*, quas vocant, verum majuſculæ quævis, quibus non ſola initia librorum, ſed etiam integra volumina ſcribebantur. Inde eſt, quod *onera* Hieronymus vocat.

vix posset: adderetque, codicis pretium tantum, ut par nemo foret illi redimendo, si pro æstimatione cognitorum statueretur, respondisse non sine furtivo risu: *se quidem in suos usus malle exemplar Terentii probe excusum, ac mendis carens* *. Sed nunc non loquor de libro impresso. Est enim sæpe in scripto antiquissimo mendorum magna copia; e diverso sunt chirographa juniora valde emendata. Jam sua ætate AULUS GELLIUS *Libro VII. Noctium Atticarum cap.* 20. est questus de corruptis exemplaribus: et ut specimen demus Ecclesiastici Scriptoris LUPUS SERVATUS Sæculi IX. notissimus scriptor, *Epistola* 1. *ad Einhardum* ait, *se Tullii de Rhetorica librum habere quidem, sed in plerisque mendosum.* Addit dein, quod maxime notari velim: *Quare cum codice istic reperto illum contuli: et quem certiorem putabam, mendosiorem inveni.* Hunc locum cum allegasset Clariss. HEUMANNUS *Commentatione de Arte Critica* §. X. solerter subjecit: *Jam cogita lector, si duo hi codices, ætatem minimum nongentorum annorum habentes, hodie exstarent, quantos plausus excitaturum sit Criticorum vulgus! Quod quid esset aliud, quam admirari carbones pro thesauro.* Nempe et librarius auctori æqualis, plus dicam, auctor ipse, potuit aberrante calamo aliud scribere, quam volebat; ut quidem videmus, et experimur quotidie, præsertim

* Vide JANUM NICIUM ERYTHRÆUM *in Pinacotheca imaginum Parte I. cap.* 4.

ſertim cum labor urget, et valde feſtinamus. Si ergo quis deſcribat primum exemplar, poſſunt irrepere nova menda; dum ſenſim deſcriptione alia, atque alia menda cumulantur majorem in modum. Nempe hic eadem ratio, quæ librorum excuſorum. Illi, quamvis veniant e manu auctoris, ſintque curate excepti; tamen, quod autographum haberet vitia, poſt omnem et auctoris et correctoris induſtriam hæc redhibent legentibus. Qui ſi ſint acuti, ac perſpicaces, ſibi minime ducunt religioni ab illis diſcedere.

Rationi tam manifeſtæ nemo repugnet, ut maxime ſuperſtitioſus cultor ſcriptorum codicum, quique ægerrime ſe patiatur ab horum verbis dimoveri. Ipſi Critici, qui lectionem quamvis recipiunt, quæ ſit in chartis antiquiſſimis reperta, deprehendunt nonnunquam ſententiam auctore indignam, neque negant fuiſſe aliter ab illo ſcriptum. Horum unus PAULUS MANUTIUS *Commentario ad Ciceronis Librum V. Epiſtolarum ad familiares* 2. *Epiſt.* vidit ſe eo redactum, ut fateretur ingenue: *Nec vero librum ullum tam antiquum eſſe arbitror, qui omni proſus vacet mendo. Quippe cum ne illa quidem interdum, quæ a nobis cogitata ipſi noſtra manu ſcribimus, emendata ſatis videamus.* Evidentia rei etiam JOANNI GREGORIO GRÆVIO confeſſionem ſimilem expreſſit, quando in *Libros* ejuſdem *Ciceronis de Officiis* præfatus ita ſe ab iſta religione expedivit: *Sunt, qui malunt ineptire miſer-*

 rime

rime in corruptis corruptius exponendis; ut aliquid eliciant, quod specie verisimilitudinis imponat imperitis, quam librarii aut fidem, aut manum, aut interpolatoris imperitiam accusare, et aut ipsi distortionem scripturæ investigare, aut alterius solertiam, parva litteræ, aut vocis mutatione nebulas omnes discutientem, et genuinam lectionem, quæque ex illa nascitur, veram sententiam restituentem, agnoscere. Sed hic aut stupor est, aut livor, aut inscitia puerilis, aut anilis quædam religio in editis libris quidquam, quamvis suadeat aut ratio, aut linguæ genius, aut vetustiores codices, immutandi. Patet nomine vetustiorum codicum non venire Grævio prolatos, atque ostensos, sed qui proferri, ostendique possent, si essent ad manus. Nam si illos, non hos diceret, iidem, qui vetustis tantum tribuunt, vetustioribus plus deferrent.

IV.

Paucitas. Vetustissimorum codicum, ne nullos dicam, quam paucissimi supersunt, præterquam in specubus subterraneis, quos fuit necesse diligentiam omnem inquirentium effugere. Eruti hinc quidam desideria aliorum accendunt; modo exesi non sint, et litteris velut abstersis. Nam tempus omnia consumit: et, si lapidibus non pepercit, quando minus a chartis, et coloribus abstinebit? Disparuerunt omnes ætate MARCI TULLII, CÆSARUMque primorum exarati: quique jactantur inde

inde esse, vix persuadent; certe non sunt *Articuli fidei* historicæ.

Vetustissimi fere sunt Longobardici sub CAROLO *Magno* descripti, atque hi longe Gothicis pulchriores, uti omnes fatentur. Inde liquet, quam multorum facta jactura sit. Nam, ut ingens extet numerus exemplarium, tamen plurimi auctorum, quorum sola memoria vel nomen extat, perierunt funditus: cumque olim inter Gentiles, et christianos innumeri lectione afficerentur, librosque volverent; subductis rationibus, qui residui sunt universi, non sufficerent ad aviditatem lectorum unius provinciæ satiandam. Ergo quod reliquum fecerunt injuriæ temporum, atque bellorum, velut tabulæ debent haberi communis naufragii, quod ægerrime evaserunt. Sed vide apud ipsum MONTFAUCONUM, qui opere dignissimo collegit omnia manuscripta, quæ nunc exstant toto orbe. Titulum infra dabo *ad finem capitis ultimi.*

V.

Ætas manuscriptorum colligitur ex litteris, notisque compendiariis; ex spiritibus, et accentibus: ex materia ipsa atque ornatu. Litteræ *unciales*, *quadratæ*, ac *rotundæ* præbent argumentum summæ vetustatis *; maxime si græca non aspiren-

Notæ ætatis, quas gerunt.

* Nomine summæ vetustatis illam accipio, cujus reliquiæ superfunt, nam de alia remotiore judicare hac ipsa de causa neutiquam licet; divinatione hic agitur, ac tenuibus testimoniis.

aſpirentur. Nam iſta ſigna primum *ſæculo VII.* inducta ſcimus. Litteræ *Gothicæ* invaluerunt ſæculo ſexto; quibus poſt *Longobardicæ* ſucceſſerunt. Antiquiſſimi quoque ſunt libri, qui non habent diſtinctiones vocum, ac periodorum; ſed ſubinde ad finem totius ſententiæ ſpatium unius duarumve litterarum relinquunt. Porro in vetuſtiſſimis Diphtongi *æ*, et *œ* raro contrahuntur, ſed apparent ſeorſim vocalibus ſingulis expreſſæ Ubi multa ſunt compendia vocum, facillime colligas, harum ætatem non eſſe majorem ſex ſæculis. Etſi enim et veteres his uſi ſint, tamen ævo, quod *medium* dicunt, ſunt diverſa a ceteris, lectuque difficiliora; ex quibus male perceptis, manarunt varii, praviſſimique errores.

Ratio ipſa formarum teſtatur de codicum ætate, præſertim cum obtuſæ ſunt, detritæ, ac litteras *initiales* Longobardorum exhibent. Scriptura *ſæculi X. et conſequentium duorum*, eſt oppido elegans; *ſub finem* vero *XIII.* diſparuit elegantia, et in locum nitidarum, et diſtinctarum vocum, tenues, deformes, abſtruſæ ſucceſſerunt. *Sæculo XIV.* codices, præſertim vulgares, multo deterius ſunt ſcripti. Fœdæ enim litteræ, pallidæ, fugientes, ſubflavæ; quod atramenti veteris eſt decor, et viſcus amiſſus eſſet. Adde chaos formarum hærentium ſibi ac implicitarum cum compendiis infinitis. Atque hæc barbaries *ſæculi XV. initio* nondum fuit ſublata; donec *ſub* ejus *medium* revo-

revocatis diſciplinis, etiam characteres aliam faciem induerent. Nam ſunt firmius exarati, lineis æque multumque diſtantibus; ut mittam ornatum auri, et colorum in capite, membrisque præcipuis; qua parte ſuperiorum temporum munditias craſſiores iſti ſuperant longiſſime. Vide ſubjectam Tabulam I.

Ratio compingendi hoc ipſo ſæculo prorſus alia. Codices antiquiſſimi filis ligabantur, involucris raro; ſi ſacros excipias, qui rubro holoſerico maxime obducti fuerunt. Facies externa imaginibus multis Chriſti, Mariæ, Apoſtolorum etc. ſive aureis, ſive eburneis, ſive depictis ſplendebat mirum in modum. *Sæculo XII. et XIII.* cœperunt tabulis ligneis compingi: utque membranæ melius legerentur ſive in medio, ſive ad angulos adnexæ ſunt bullæ ex orichalco; quæ has concluderent, pulveremque arcerent. Qui mos viguit usque *ad medium ſæculum* XIV. quo tabulæ ligneæ corio fuſco, vel rubro ſunt veſtitæ; donec ſuccederet illud denſius, ſuillum videlicet. Porro forma ipſa chartarum antiquiſſimarum fere quadrata eſt, quarumdam oblonga.

Qui horum curioſior eſt, habet BURCARDI GOTTHELF STRUVII *Schediaſma de Criteriis Manuſcriptorum*: DANIELIS EBERHARDI BARRINGII *Clavem Diplomaticam*: GODEFRIDI BESELII *Prodromum ad chronicon Gottwicenſe*: BERNARDI a

MONT-

MONTFAUCON *Palæographiam Græcam*: JOANNIS WALTHERI *Lexicon Diplomaticum*: duorum Benedictinorum *nouveaux Traité de Diplomatique, ou l'on examine les fondemens de cet art. Paris* 1750-1758. *seqq. Tomis VI. in* 4. qui nunc Germanice sunt redditi: denique Domini VANIES Benedictini *Dictionaire raisonné de Diplomatique.* Laudatur quoque DAVIDIS CASLEY *Catalogus M. SS. Bibliothecæ regiæ Londinensis*, datus in lucem *Londini* 1734. *in* 4. * Verum hunc non vidi; sed neque intelligerem; cum sit lingua Anglicana perscriptus. Ostendit autem brevius, quam ante dicti, rationem universam scribendi, quæ esset in codicibus *a sæculo III. usque ad decimum quintum.* Quid quod ratio litterarum illustratur egregie ab omnibus his, qui curatius *de Nummis*, *et Inscriptionibus* egerunt; ut JOANNES CASPAR HAGENBUCH *in Epistolis Epigraphicis Tiguri* 4. 1747. Quo etiam, quantum ad notas compendiarias, quæ una vel pauculis litteris voces integras dabant, JOANNIS NICOLAI *Tractatus* præstans *de Siglis veterum:* et G. PLACENTINII *de Siglis veterum Græcorum* etc. pertinent. De ceteris docebunt CHRISTIANI GOTTLIEB SCHWARZII *Dissertationes de ornamentis librorum.*

VI.

* Eruditio Diplomatica debetur superiori sæculo jam vergenti. Cum enim DANIEL PAPEBROCHIUS *Tomo II. Aprilis Propylæum Antiquarium circa veri ac falsi discrimen* in

VI.

Optimos codices debemus cœnobitis. Jam enim CASSIODORI extrema ætate deſcribebant innumeros codices; quod legere nimirum, et ſcribere ſinguli noſſent. Sed etiam TRITHEMIVS refert vel ſua ætate magnam fuiſſe curam ſcribendi in cœnobiis. Nam Prælati aſſignabant cuique partes ſuas: et quidem doctioribus præcipua, minus doctis libros vulgares, aut facile legendos. Aderant experti quidam, ut recognoſcerent, conferrent, darentque omnem operam, ne fucus fieret lectori credulo. Huc vero delatus non poſſum ſat mirari maledicentiam hominum, qui culpant cœnobitas quotidie, quod manu nil operis fecerint: quod fuerint gulæ dediti: quod ſcripta veterum depravarint, quæque ſunt alia ejus generis plura, a cura cuticulæ, et otio nimio petita. Si enim tam obnoxii fuiſſent ventri, ut ceteri fuerunt, nec jota ſupereſſet ſive ſacrorum, ſive profanorum ſcriptorum. Aut unde iſti? A quibus ipſi Proteſtantes habent tot edita, et ſcripta niſi a cœnobitis, ſive Græcis, ſive Latinis, qui deſcripſerunt de integro vitiatos codices, atque ſervarunt? Si quidem quid mu-

in vetuſtis membranis præmiſiſſet, amicum ſuum MABILLONIUM excitavit, ut rem pleniſſime verſaret præclaro opere *de re Diplomatica*; quod dein, præſertim apud Benedictinos, peperit ſummos ejus cognitores.

mutassent (nulla mala fide, sed imprudentia) cur omnibus objicitur paucorum temeritas inconsulta? Hodieque eorum codicibus corriguntur alii, edunturque in lucem. Ergo gratiæ iis agendæ potius pro tot monumentis sartis, quam maledicta ingerenda pro aliquot vitiatis. Innumeri ex illis abstinuerunt a fraude, cum nossent, his artibus non egere religionem: et si quidam veste solum et colore institutum religiosum tenuerunt, id ipsum regerendum est omnibus Christianis, qui tantopere a sanctitate, ac disciplina majorum recesserunt. Non debemus dissimulare vitia nostra multo plura, si quando libet in aliena invehi. Erunt vitia, donec homines: et si quid dici debet in odium præteritæ ætatis, imo præsentis; dicatur ex æquo de statu, et conditione qualibet: imo sic dicatur, ut veritati sit locus: neve modestia, pietas, caritas ipsa in narratione desiderentur. Sed hæc toties depulsa sunt, ut satis appareat, non id agi repetitis clamoribus, quo aliqui emendentur, sed rudis plebecula paulatim imbuatur pestilentissima opinione sanctum nil esse in nostra religione: ministros hujus exigere ab aliis, quod ipsi non crederent: vitia nasci nobiscum: neque poni ab aliquo: ac denique licitum esse, quod publicum est.

Non possum hic committere, quin adscribam verba JOANNIS MATTHIÆ GESNERI *in Prælectio-*

ctionibus ſuper Iſagogen in Eruditionem univerſalem §. 116: *Quod reliquum erat bonorum librorum, monachi perdebant aliis modis, imprimis radendo libros pergamenos, ut illis inſcriberent boatus ſuos, quos* HORAS *dicunt. Relicta ſunt hinc inde aliquot fragmenta bonarum litterarum in illis libris muſicis etc.* Quod quam inique ſit dictum, non eſt opus ex aliis, etiam Proteſtantibus, oſtendere; res ipſa calumniam revincit. Fuit Geſnerus eleganti ingenio, et cognitione magna bonarum litterarum; cui tribuerem plurimum, ni toties aperte falſa pro perſpectis venditaret ex hominum ſermonibus, et odio rerum noſtrarum. Quædam ejusmodi ex ejus ſcriptis enotavi: et, ſi ferat occaſio, palam exhibebo. Nunc ſufficit monere, quod ipſe de ſe fatetur *ejusdem operis* §. 1217. laudans librum *Matthæi Hale de Talione divina: Mature hunc librum legi, anno circiter ætatis XXX: et ab eo tempore diligenter attendi ad me ipſum: et quoties aliquid moleſte accidit, fuit id ejusmodi, ut poſſem ſentire, ubi et qua re meruerim. Mihi hoc ſæpiſſime evenit, ut male audiam ſine cauſa apud illos, quibus placere vel maxime velim. Hoc inde eſt: aliquis non recte vitat etiam ſpeciem mali: non compeſcit linguam: audit libenter de aliis maledici: titillatur hac re: non poteſt ſe continere, quin et ipſe addat verbum etc. Deus aurem malam mala lingua ulciſcitur. Mendaces impudentes eſſe, qui criminoſe de me dicunt, certo ſcio: et me inſontem eſſe mea mihi*

teſtis

testis est conscientia. Sed eadem etiam semper hac occasione, quoties mendaciis oneror, clanculum mihi in aurem: HEUS TU FRATER JOANNES MATTHIA! *dicit:* TUIS HOC AURIBUS MERUISTI: IN POSTERUM CAUTIOR ESTO. Si esset in vivis, et illi ob oculos possem ponere, quæ falsa non solum libenter audivit, sed etiam scripsit: nunquid adderet conscientia: *Ecce! hic insontem te esse haud testor. Falsissima de aliis hic et ibi chartis mandasti; ergo alius verissima nunc reponit de te ipso in aliis chartis!*

VII.

Codices vetusti fere optimi: ac sæpe causa solius vetustatis.

Quamvis sum largitus, vel in vetustis exemplaribus inesse menda, tamen ratum debet esse, quod quanto sint propiores ætati auctoris, tanto majorem illis fidem debere. Avertat Deus, ut contemptos velimus, aut tenebris damnemus ob quorumdam perversitatem! Juniores codices ex antiquioribus descripti omnes sunt; unde habent auctoritatem suam ab illis. Si ergo quo quis horum integrior est, id debet bono alteri libro vetustiori; iste, non alius, erat fons, unde hausit integritatem. Præterea sunt multa, quæ non possunt restitui nisi e libris veteribus. Quod palam est considerantibus nobis tot lacunas; locosque implexos; de quibus ubi occurrunt in junioribus, nemo potest pronuntiare nisi ex illis, qui veniunt ex superiori ætate. Nec enim si ingenium sufficit

ad

ad docendum, deeſſe aliquid, propterea divinare potes, quid ſit omiſſum; cum raro teſtimonia auctoris laudentur ab his, qui non procul ab eo abfuerunt; neque reponi inde poſſint, quæ nunc deſunt. Rurſum quædam propria nomina, verba e margine ſumpta, lectiones duæ ex æquo probabiles internoſci nusquam poſſunt, niſi codex vetuſtior adeatur. Denique ſæpius nec conjecturæ relinquitur locus, ſi ductus ipſos litterarum non licet oculis uſurpare, ac contemplari in ejusmodi affectis implexisque vocibus, qui hucusque ſolertiam omnem criticorum vicerunt. Ut enim in ceteris forenſibus controverſiis devolvitur res ad judicium oculorum, quod Jureconſulti abſurdo nomine, *viſum repertum* vocant; ſic tali in lite uſuvenit, ut ſolus ſenſus videndi, qui apud quosdam acerrimus eſt, recognoſcat propoſitæ rei obſcuritatem.

Sed majus quid dicendum in gratiam priſci libri. Quod facio verbis peritiſſimi in hoc genere viri, quem ſupra laudabam, Marci ſcilicet Antonii Mureti. Iſte *Variarum Lectionum Libro II. cap.* 26. ita habet: *Soleo libenter veteres libros, quicunque in manus meas incidunt, evolvere; cujus modi tandem illi ſint, et quocunque litterarum charactere exarati. Quod enim Plinius de toto librorum genere dicere ſolebat, nullum eſſe tam malum, ex quo non caperetur aliquid fructus; id ego in his maxime verum eſſe comperio. Multos enim nanciſcor mutilos, laceros, corruptos, evaneſcentibus litteris;*

 tum

tum (quod molestius est) descriptos ab hominibus imperitissimis, ideoque ἕλκεσι βρύοντας; ut in eis legendis incredibilis quædam molestia exhaurienda sit. Sed non in multos incido, qui omni ex parte frustrentur opinionem meam. Fere enim semper aliquid tamen lucelli facio. Sive autem hæc constantia vocanda est, sive etiam quidam error; (non enim, quo minus, quo quisque volet, nomine appellet, impedio) ita obstinato animo sum, nulla ut sit tanta erratorum multitudo, quæ me a legendo absterreat. Neque mihi male operam collocasse videor, quum ex illis difficultatibus tanquam e salebris quibusdam emersus, in recensione reperio, unum aut alterum boni alicujus scriptoris locum bidui, triduive labore purgatum esse. Similia his habet *Libro XIV. cap.* 1. *Vereor interdum, ne sint, quibus hoc totum scriptionis genus leve, atque contemnendum esse videatur; quod ad maculas e veterum libris eluendas refertur. Ut enim vera sint, quæ scribimus; fere tamen, simul atque quis unam, aut alteram litteram vocemque in libro suo aut mutaverit; aut deleverit, aut addiderit; ita singula horum librorum capita concerpat licet, ut quorum vix usus præterea ullus esse alius possit. Sed tamen si quis secum reputet, primum quanta utilitas ex veterum scriptorum lectione capiatur, deinde quantam difficultatem depravata scriptura illorum studiosis exhibere soleat; magnam gratiam habendam esse judicabit iis, qui suo labore laborem aliis minuunt, et in quibus ipsi fortassis aliquando hæsitarunt, in eis, ne alii quoque hæsitent, elaborant.* Optime vero *Libro VIII.*

cap. 4.

cap. 4. Quotidie magis intelligo, verum esse id, quod semper existimavi, nullam esse mendam ita pusillam, quam non permagni intersit e veteribus monumentis tolli, ac corrigi: neque ullum hominum genus magis prodesse studiis, quam eos, qui accurate, et fidenter operam in illis purgandis, emendandisque ponunt. Unius enim litterulæ erratum interdum eas etiam eruditissimis hominibus offundit tenebras, ut tanquam in illa nocte errantes, quovis potius perveniant, quam quo volunt.

Porro quæ dicit MURETUS de utilitate correctionum, in comperto sunt; et præter ineruditos, vel malevolos habent omnes suffragatores *; quod vero addit de difficultate operis, video in dubium a quibusdam vocari: nec prorsus immerito; tot enim duces, præsidia tot habemus; ut videatur difficultatis pars major sublata. Non agitur autem ex æquo et bono, si, quod hodie facilius est, universe dicant, nullo labore constitisse. Sunt enim in hoc genere aspera quam plurima; quæ isti a superioribus non adjuti, nunquam superarent. Ergo faciunt invidiose, si volunt ideo facilia, quia facta: negantque honorem inventoribus, quem posse se assequi desperarunt. Quamquam, ut verum fatear, cum præstita sint plurima, multa supersunt, quibus opera locanda ab omnibus antiquitatum studiosis; non quidem ut per se ipsi sanent vitiosas lectiones, sed *Quantus sit labor in libris integris restituendis.*

T 2

* Interdum enim vel palmaris veritas hinc pendet, vel falsitas.

ſed quotquot offendunt inter legendum, his denuntient, qui partem ætatis contriverunt in illo ſtudio: neque nunc deſiſtunt a ferendo onere, cui pares humeros ſint allaturi. Atque idipſum eſt, quod laudatus a nobis Muretus optabat magnopere. Ait enim *Libro VII. ejusdem operis cap.* 12. *Non eos modo, qui corruptos præſtantium ſcriptorum locos emendant, præclare operam ſuam ponere, arbitror; verum illos quoque, qui quum aliud nihil poſſunt, eos indicant. Proponunt enim hominibus ingenioſis, et copioſa veterum Codicum ſuppellectile inſtructis materiam, in qua ſe exerceant: eosque excitant ad aliquid excogitandum.*

Hæc de ſcriptis codicibus, quantum in rem noſtram; cetera, quæ habent pluſculum delectationis, juvantque familiarem conſuetudinem inter eruditos, nunc paucis perſtringam.

Ob

[illegible]
Caroli Magni quibusdam, *Budenſi*, *Heidelbergenſi priore*, *Fuldenſi priore* etc. etc.

a

in antiquissimis currentium,

Alphabetum Latinum ab Ionio quinque * literis ex	Alphab. Roman. a.186. ante	tum Græco D.388. ctore...	Alphabetum Runicum e Gothico. A.D. 400.

Ob

Ob *Tabulam litterarum Græcarum*, quæ ſæculis chriſtianis vices varias ſubierunt, habentque multa compendia ſyllabarum, omnino videndus *Nouveau Traité de Diplomatique*, aliusve ex laudatis.

CAPUT XVI.

Cognitio Bibliothecarum, quibus Codices Manuſcripti ſervantur.

Antequam de his dicere aggredior, præmittenda ſunt quædam de Bibliothecis veterum; quod fieri poteſt per tranſennam. Video enim, quæ de his ſcripta ſunt ab idoneis auctoribus, fere eodem recidere. Legas enim

I. meriſſimas nugas de Bibliothecis *Antediluvianis*. *Bibliotheca veteres deperditæ.*

II. Originem Bibliothecarum apud Ægyptios.

III. Narrationes de Bibliothecis præcipuis, quæ *deperditæ* ſunt; ut de *Alexandrina*, omnium præcipua, *Attalica* Pergamenorum, *Antiochi Magni*, *Romanis* variis;

Dein poſterioribus multo pluribus; ut de *Byzantinis*; præſertim quæ erat *ad S. Sophiæ*, prorſus miranda. Quibusdam *Juliani Imperatoris*, *Theodoſii junioris*, *Eudociæ Macrembolisſæ*, *Imperatoriæ*, de integro collectæ, *Caroli Magni* quibusdam, *Budenſi*, *Heidelbergenſi priore*, *Fuldenſi priore* etc. etc.

Damnum passæ aliæ, etiam recentiores.

IV. Multarum res adversas, ac detrimenta gravissima; ut *Sangallensis* tempore Concilii Constantiensis, *Vaticanæ*, multarum in *Germania* tempore belli Suecici, *Londinensis* in incendio urbis 1666. *Scorialensis* regiæ in incendio 1671. etc etc.

Quibus nunc maxime addas fata innumerabilium Bibliothecarum in *Collegiis abolitæ Societatis Jesu*, quarum libri passim distracti, furtoque sublati ubivis gentium, atque terrarum.

His præmissis doceo, quæ hodie sint præcipuæ Bibliothecæ, Maxime vero celebrantur:

Præcipuæ per orbem Christianum Bibliothecæ, quod quidem codices scriptos attinet.

VATICANA Romæ: REGIA PARISINA, aliæque ejus, ac primo loco illa S. GERMANI *Benedictinorum* *; CÆSAREA VIENNÆ: Regia SCORIALENSIS in Hispania; AMBROSIANA Mediolani; ** Complutensis XIMENIANA: SALMANTICENSIS; Regia WESTMONASTERIENSIS in Anglia: Regia SOCIETATIS SCIENTIARUM Londini; COTTONIANA ibidem; BODLEJANA Oxonii: Academiæ CANTABRIGIENSIS; LUGDUNO-BATAVA; BARBERINIA Romæ; CHIGIANA ibidem: MEDICAEA Florentiæ; alia in PALATIO Magni DUCIS ibidem: Mediolanensis METROPOLITANAE Ecclesiæ; Veneta apud S. MARCUM: Regia

* De his omnibus seorsim, curateque DANIEL MAICHELIUS *Introductione ad Historiam litterariam de præcipuis Bibliothecis Parisiensibus*, ex editione anni 1721. *Cantabrigiæ* 8.

** Huic MABILLONIUS *in Musæo Italico Tomo I. P. I. pag.* 14. inter omnes Italicas præter Vaticanam primas dedit.

Regia TAURINENSIS: Estensis MUTINAE: Regia HOLMIENSIS in Suecia: UPSALENSIS Academica: Regia HAFNIENSIS in Dania: Hafniensis ACADEMICA: MOSCUENSIS in Russia: PETROPOLITANA in eodem imperio: ZALUSCIANA Varsoviæ: AUGUSTANAE urbis: Regia BEROLINENSIS: urbis BREMENSIS: GUELPHERBYTANA: CASSELLANA in Hassia: Regia DRESDENSIS: GOTHANA in Saxonia: GÖTTINGENSIS: Senatoria HAMBURGENSIS: Electoralis HANNOVERANA: HELMSTADIENSIS: HERBIPOLENSIS Ecclesiæ Cathredralis: Academica JENENSIS: Academica LIPSIAE: SENATORIA ibidem: MOGUNTINA Collegii Metropolitani: Electoralis MONACHII, ad quam etiam nunc pertinet, quæ est in Collegio Societatis Jesu: NORIMBERGENSIS Reipublicæ, si jungatur cum *Senatoria*: S. EMMERAMI Ratisbonæ, quæ una est ex principibus:

Præter has in Oriente varias superesse nemo dubitat; utinam non deperditis accensendas!

Porro in tot Scriniis paucissima extant duodecim sæculis antiquiora; multorum vetustas falsa venditatur ab his, quorum est sua omnia in majus tollere. Nominatim *Evangelium* S. JOANNIS ab ipsomet scriptum litteris aureis, in æde S. Saturnini apud Tolosates: item *Evangelium*, quod manu S. MARCI exaratum Venetiis servatur: *Historia Reginæ Esthér*, opus convolutum in pelle vi-

tulina subacta coloris flavi majusculis litteris Hebraicis ab Esdra ipso conscripta, quam ostendunt in sua Bibliotheca Canonici Regulares ad S. Salvatorem Bononiæ: tria volumina *Pentateuchi* ante natum Servatorem scripta in Bibliotheca Academiæ Helmstadiensis. Ut enim vetusta sint, dicta ætas hinc non conficitur; quod illa Judæus Imperialium millibus sex voluerit mercari. Quam vere hæc omnia dicam, vel unius exemplo evincitur. Nullus forte auctorum profanorum pluries exscriptus a Romanis Cornelio Tacito; de quo *Flavius Vopiscus cap.* 10. *Historiæ Augustæ* videri potest. Cum enim narrasset, quo in pretio is fuisset apud Imperatorem Tacitum, istuc addit: *In omnibus Bibliothecis collocari jussit: et ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus in euicis archiis * jussit, et in Bibliothecis poni.* Tacitus autem Imperator mortuus est sub finem tertii sæculi anno 276; et tamen nec unum extat Historici exemplar, quod posset ad hanc ætatem referri. Nam omnium quæ scimus vetustissimum et in loco memorandum, tribus post sæculis fuisse scriptum ex litteris Longobardicis apparet.

In his verissime quædam Biblica.

Tamen quædam mirandæ vetustatis præsertim ex libris sacris supersunt. Sic

In regia Berolinensi est *Pentateuchus Ebraicus* anno Christi 334. in Insula Rhodo exaratus.

In

* Videtur legendum in *Urbicis Archivis.*

In COTTONIANA habetur *Liber Genesis*, græce scriptus, quem Fronto Ducæus, idoneus judex, quotquot extent in orbe, antiquissimum censuit. Sed *Græca Fragmenta primi Libri Historiæ Mosaicæ* litteris aureis, et argenteis majusculis scripta adpictis imaginibus splendidis in CAESAREA Vindobonensi habent ætatem mille et quingentorum fere annorum.

In CAESARODUNENSI est Pentateuchus ætatis duodecim sæculorum Latine scriptus.

In regia WESTMONASTERIENSI volumen *Veteris ac Novi Testamenti*, quod *Codicem Alexandrinum* dicunt, sæculo IV. vel V. Græce conscriptum.

Hoc judice Montfauconο vel æquat vel superat ætate *Pentateuchus Græcus* in Bibliotheca LEIDENSI, habens adjunctam *partem Librorum Josue, et Judicum.* Sed etiam de palma contendit Codex Græcus Bibliorum in VATICANA; cujus ætatem alii quarto tribuunt, alii quinto sæculo *.

Accedit liber Græcus Bibliothecæ S. GERMANI Parisiis, complectens *Heptateuchum*, *librosque alios Scripturæ cum notis Hexaplorum ad marginem*; qui est certe sæculi VI. vel VII.

In Bibliotheca Ecclesiæ TIGURINAE est Codex *Bibliorum Latinus*, a Carolo magno in illam illatus; ac haud dubie multo ante conscriptus.

* Legitur *Dissertatio* JOANNIS SAMUELIS HICHTEL, *qua antiquitas et præstantia codicis Romani præ Alexandrino contra Millium asseritur, Jenæ* 1734.

In Bibliotheca Regia Parisina varii ex utroque Teſtamento Libri annorum plusquam mille ducentorum; ſuper quorum characteres fere extinctos opera S. Ephræmi quis exaravit.

Hæc de prioribus Libris Codicis ſacri; deinde univerſis, aut ſaltem pluribus conjunctis. Nunc ad *Pſalteria* ſeorſim venio.

Bibliotheca S. Germani Pariſiis habet codicem Latinum *Pſalmorum* celeberrimum, litteris aureis, argenteisque uncialibus, in charta purpurea V. vel VI. ſæculi.

Eadem oſtendit aliud *Pſalterium Græcum*, ſæculo VI. circiter chartis mandatum.

In Bibliotheca Eccleſiæ Tigurinae eſt volumen *Pſalmorum*, purpurea in membrana, titulis aureis, et litteris argenteis græce expreſſum eleganter.

Neque minores theſauros habemus ex *Teſtamento Novo.*

Baſilica Vercellensis ſervat codicem *Evangeliorum* *, quem S. Euſebius Vercellenſis ſua manu exaravit. Hic ultra quadringentos ſupra mille annos habet: eſtque ad unguem expreſſus Mediolani 4. 1748. opera Joannis Andreæ Irici.

In Bibliotheca Moscuensi, quam dicunt Synodalem, habetur *quatuor Evangeliorum Liber Græcus* ſæculi VI.

Ful-

* Secundum verſionem; quæ dicitur *Italica.*

Fuldensis hodierna oſtendit codicem, qui eſt ſaltem mille ducentorum annorum, ac inter alia *Epiſtolas Pauli*, *Actus Apoſtolorum*, *Epiſtolas S. Jacobi*, *Petri*, *Joannis ac Judæ cum Apocalypſi* complectitur.

Bibliotheca Basileensis habet alium codicem *quatuor Evangeliorum*, græce ſcriptum, ſaltem mille annorum.

Certiſſima eſt ætas *Evangeliorum voluminis Latini*, auro multo, gemmisque pretioſiſſimis ornati, quod Carolus Calvus in uſus Eccleſiæ S. Dionyſii litteris aureis ſcribi juſſit, in Bibliotheca Ratisbonensi *a S. Emmeramum*; quæ habet ſupra mille libros, non ſolum vetuſtiſſimos, ſed etiam lectiſſimos, eosque plures in membranis. Hoc ergo volumen nongentorum eſt et amplius annorum.

In Bibliotheca S. Germani Pariſiis eſt codex *Evangelii S. Matthæi*, in charta purpurea, aureis et argenteis litteris, ſane elegantibus, VII. circiter ſæculi.

In eadem ſunt *quatuor ſupra decem folia græca ex Epiſtolis S. Pauli*, quæ circa V. ſæculum ſcripta cenſentur. Horum pretium inde accenditur, quod ſunt exacta ad fidem codicis *Bibliothecæ Cæſarienſis in Palaſtina*, quem *S. Martyr Pamphilus exaravit ſua manu.*

In eadem Bibliotheca S. Germani extat codex præclarus *Epiſtolarum quarumdam S. Pauli*, Græce et Latine, papyro Ægyptia, qui ſæculi XII. habetur.

In

In Bibliotheca REGIA PARISINA eſt Codex Græco-Latinus *Epiſtolarum S. Pauli*, in tenuiſſimis, ac elegantiſſimis membranis (*Claromontanus* vulgo dicitur) ſæculi circiter VII.

Rariſſima quædam ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

A libris S. Scripturæ progredior ad Patres, aliosque Eccleſiaſticos ſcriptores.

Hic eminent aliquot Libri *Flavii Joſephi de Antiquitatibus Judaicis, interprete Rufino;* ſcripti XII. abhinc ſæculo. Volumen hoc chartæ Ægyptiæ, ſeu Philyræ, mutilum extat in Bibliotheca AMBROSIANA Mediolanenſi.

In Bibliotheca S. GERMANI Pariſiis eſt codex *S. Cypriani* VI. vel VII. ſæculi, quem habent pro antiquiſſimo omnium hujus Sancti.

In Bibliotheca regia TAURINENSI habetur * codex V. vel VI. ſæculi, in quo *Lactantii Epitome divinarum Inſtitutionum* plenior, et accuratior eſt, quam in aliis quibuscunque exemplaribus: atque ideo a clariſſimo Chriſtophoro Matthæo Pfaffio anno 1712. Pariſiis vulgata fuit.

Ejusdem *Lactantii Inſtitutiones divinæ cum Libris de Ira, et de Opificio Dei*, quadratis litteris ante annos mille ac centum exaratæ, habentur in Bibliotheca Canonicorum Regularium ad templum S. SALVATORIS *Bononiæ*. Ejus tamen exemplaris *Præfatio* cum duobus, vel tribus primis foliis periit.

De

---

* Volebant quidam non eſſe hunc diverſum a Cantabrigienſi; ſed Daniel Maichelius *Libri laudati pag.* 22. *ſeq.* ac etiam Joannes Adamus Oſiander in *Orationum Academicarum biga Tubingæ Oratione* 2. contrarium evicerunt.

De codice VATICANO *S. Paciani*, qui fuit reginæ Chriſtinæ, et annos circiter mille habet, ſupra dixi *capite XI.* ac etiam in opere *de Eloquentia Patrum*, *Diſſertatione de ejusdem* vetuſti ſcriptoris *Eloquentia cap.* I. *ad calcem.*

In Bibliotheca AMBROSIANA Mediolanenſi extat codex *Prudentii*, ſæculo VII. vel VIII. ſcriptus.

Academia HELMSTADIENSIS aliquot *Homilias* græcas *Chryſoſtomi* habet, quæ gerunt notas ſæculi VII.

In Bibliotheca regia SCORIALENSI ſervatur *liber S. Auguſtini de Baptiſmo parvulorum*, ſane ipſius auctoris manu conſcriptus.

In Bibliotheca S. GERMANI Pariſiis eſt alius codex *Epiſtolarum S. Auguſtini* charta Ægyptia, litteris uncialibus; non quidem ab ipſomet ſed tamen VII. circiter ſæculo exaratus.

A Patribus facio gradum ad *ſcriptores profanos*, ac primum *Claſſicos.* Eſt autem mirum, ex tot operibus Græcis, ac Latinis numerum codicum ad eam paucitatem eſſe redactum. Id quod tribuo tam barbaris, qui his minus pepercerunt, poſtquam Chriſto dederant nomen; quam ipſis cuſtodibus Romanis, majorem curam ſacrorum habentibus; præſertim ab ætate, qua bonæ litteræ labem maximam ſunt paſſæ in Imperio ad Occidentem. *Rariſſima quædam ſcriptorum profanorum.*

Super-

Superſunt ergo ex naufragio communi hæ triſtes reliquiæ, ut augeant deſiderium opum perditarum,

In Bibliotheca VATICANA *Terentius Fulvii Urſinatis*, de quo dixi ſupra poſt initium prioris capitis. Cenſetur ſcriptus ſæculo IV.

In eadem reſtat codex *Virgilii*, quem Mabillonius putat non inferiorem ætate Conſtantini Magni; proin facile vetuſtiſſimum in hoc omni genere Romanorum ſcriptorum.

Ejusdem *Virgilii* ſupereſt alius in Bibliotheca MEDICÆA, Florentiæ, cui deſunt duo, ut dicimus, quaterniones, *Bucolicorum* initia continentes. Hunc volunt eſſe deſcriptum circa tempus, quo Valens, vel Theodoſius Magnus rerum potiebatur.

Livii vetuſtiſſimum in orbe exemplar poſſidet Bibliotheca CAESAREA Vindobonenſis, aliquot centum ſupra mille annos habens. Conſtat autem, quod dolendum, ſolis quinque ultimis libris, quos nempe inter editos numeramus.

Taciti, et *Apuleji* volumen ſcriptura Longobardica, quod habet Bibliotheca MEDICÆA Florentiæ teſte Holſtenio, admirandæ eſt vetuſtatis; quamquam hanc vir expertiſſimus non definivit. [a]

Ex

[a] *Ciceronis* ego nullum ſcio ſcriptum codicem, qui cum ceteris in comparationem vetuſtatis poſſit venire. Miror autem quo devenerit vetuſtiſſimus MEDICÆUS, cui tantum tribuit Petrus Victorius, oratoris ſummi ſoſpitator. Nec enim reperio illum inter ejus Bibliothecæ præcipua. Vel ergo deperditus eſt, vel non tantæ vetuſtatis, ut quibusdam, qui oculis non uſurparunt, videri poſſit.

Ex ceteris profanis commemorandus primo loco *Dioſcorides Medicus;* cujus codex græcus ineunte ſæculo VI. ſcriptus figuras plantarum exhibet artificio tanto adpictas, ut ſpeciem viventium referant. Atque hoc ſuperbit Bibliotheca Cæsarea Vindobonæ.

In Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Herbipolensis viſitur *Codex Theodoſianus*, inter præcipua Germaniæ ornamenta numerandus. Ejus forma quadrata eſt, litteræ ſemiunciales. Porro ſententiarum nulla diſtinctio. Ejus ætatem referunt ad tempora ipſius Juſtiniani Imperatoris: ac prope eſt factum, ut ille interiret. Latebat enim longiſſimo tempore; nec ejus notitia ulla ſuperfuit, dum Chriſtophorus Franciſcus Huttenus, ejus Eccleſiæ tum Decanus, poſt antiſtes, anno ſæculi hujus decimo ſeptimo inſpiciens tectum templi, forte fortuna incidit in acervum librorum, ſatis magnum. Nam erant aliquot centuriæ editorum, ac circiter centum ſeptuaginta ſcripti, tum ſeptuaginta; quos inter etiam iſte fuit. Vix dubio eſt locus, tantum theſaurum tempore belli Ruſtici, aut Suecici in hoc perfugio abſconſum eſſe ab his, qui ſcirent ei pretium ponere.

In publico palatio *Civitatis Florentinæ* ſervatur exemplum *Pandectarum*, volumine duplici formæ quadratæ exceptum, eoque prægrandi, quod Mabillonius et alii referunt ad vergens ſæculum VI.

VI. Quo vides *Codicem Theodoſianum* Herbipoli, eſſe Pandectis iſtis multo ſuperiorem.

Hæc, ni fallor, præcipua ſunt ex compertis. Si quid majoris momenti omiſimus, dandum eſt laboris improbitati, quo tot ligna ex ſylvis vetuſtiſſimis legenda fuerunt. Qui plura vult, adeat BERNARDI DE MONTFAUCON *Bibliothecam Bibliothecarum Manuſcriptorum novam; ubi, quæ innumeris pene Manuſcriptorum Bibliothecis continentur, ad quodvis litteraturæ genus ſpectantia, et notatu digna deſcribuntur, et indicantur. Tomis II. fol. Pariſiis* 1739. JOSEPHI SIMONIS ASSEMANNI *Bibliothecam Orientalem Clementino-Vaticanam, recenſentem M. SS. Codices Syriacos, Arabicos, Perſicos, Turcicos, Hebraicos, Samaritanos etc. ex Oriente juſſu Clementis XI. conquiſitos, et Bibliothecæ Vaticanæ additos, cum ſingulorum Auctorum vita. Romæ* 1719. *ſeq. Voluminib. IV. in fol.* STEPHANI EVODII ASSEMANNI *Catalogum Codicum Orientalium M. SS. Bibliothecæ Mediceæ Laurentianæ, et Palatinæ, ſtudio Antonii Franciſci Gorii Florentiæ* 1742. *in fol.*

Unum addo, quæ vulgo feruntur de ſummis ſcriptoribus, hodieque integris, eruendis conjecturalia eſſe; ut trahi poſſint in utramque partem. Certe hominibus fuit ſemper ſolenne, ut crederent libentius, quod valde optabant. Negari tamen haud poteſt, multa dediſſe tempus, et induſtriam, de quibus conclamatum jam erat. Quanto tempore delituit *Octavius* MINUTII FELICIS?

CLE-

CLEMENTIS ALEXANDRINI *Liber: Quis dives salvus?* LACTANTIUS *de mortibus persecutorum. Marius Mercator integer*, etc. ?

Subit nunc cogitatio, apud neminem a me lecta, verum ejusmodi, ut possit vel parum litteratus in eam venire: *Si habemus tam paucos codices, qui sint ante octavum sæculum descripti: si habent plerique ætatem multo inferiorem: imo qui excedunt quingentos annos vetusti censentur; quid tribuunt illis tantum fidei: quid tollunt auctoritatem eorum? quid recurrunt ad eos?* Si enim non creditur narranti, qui abest ab gestis longius, cur valeat testimonium de sententia verbisque priorum auctorum? Non est in his par ratio, vel negandi fidem, vel adhibendi? Quod si impar est, discrimen eo recidit; quod verbis fuit magis timendum, quam factis in ignorantia tanta linguarum, et barbarie occiduis partibus incumbente. Quidquid nempe sive auri, sive argenti, sive æris est super, per manus ferreas luteasque fuit devolutum: et scripserunt innumera rudes librarii, quæ necesse fuit jam secus accipere, jam penitus, atque ex toto ignorare.

Manuscripti etiam minus vetusti habendi honor.

Sunt hæc ita comparata, ut videantur ad conjectum primum oculorum præbere argumentum difficile, ac oppido molestum; verum propius acriusque spectanti non exhibent negotium. Cum enim manuscripto undecimi, duodecimi, imo sequentis sæculi, honorem habemus, non ille in librarium, sed codicem vetustiorem cadit, unde suum exceperat: neque potuit per imperitiam in

illo tantundem mutare, quantum in tradita per millenas linguas historia; cui additur ac demitur semper studio novitatis. Idem factum quotidie a quibusdam refertur; codex per sæcula manet, dum litteris fugientibus, vel sensim erosis de integro scribatur. Ita fit, ut narratio in aliam abeat, rei summa immutata; cum scriptura, quæ patet uni injuriæ, in minutiis varietur; et quidem iis, quæ possint ex ipsis, quæ præeunt, vel sequuntur, facile emendari. Uno verbo, in codice reperio easdem litteras, sermonem eundem, qui fuit ante quingentos annos; in relatione, cujus nulla vetusta *Acta* habentur *; non tantum diversa, sed etiam pugnantia audio: nec est quidquam, ex quo lux affulgeat ad judicandum aliud, quam sibi hanc non constare: et cum singulis testimoniis nil possit deferri, neque posse universis. In multos sermones divisa est, et quilibet horum aliter habet. In quo ponam ergo veritatem? In quolibet haud possum. Designa ergo, quem volueris, ut illi assentiar! Sed quidquid dem uni, ceteris auferam; quia quisque evertit alterum contradicendo. Cum ergo ut sua firmet, infirmat alia; hæcque tollit, tollitur vicissim ab omnibus; ut sit semper uni contra universos, ac universis semper contra unum habenda fides. Quo fiunt quævis incerta: illique testes jam prorsus inuti-

* Hæc enim ubi ad manus sunt, jam nihil hic repugno. Nam patet per se, esse eandem sive historici, sive alterius monumenti rationem. Sed etiam, ubi vitium habet, iisdem præsidiis utrumque restitui potest a rerum peritis.

utiles præterquam adversum se ipsos, se invicem sic jugulant in morem militum Cadmæorum, ut nullus supersit ex toto agmine conferentium manus: victisque tot partibus, quot hominibus, victor nemo habeatur in strage communi.

CAPUT XVII.

Cognitio Nummophylaciorum celebriorum.

Nummorum esse maximum usum in hoc foro, nemo est, qui ignoret. Inter alios id ostendit *Dissertationibus de usu Nummorum veterum in studio Theologico* VALENTINUS ERNESTUS LÖSCHERUS. Atque istas oportet addere præclaro operi, quod EZECHIEL SPANHEMIUS sub ficto nomine *Debielis de usu et præstantia nummorum* universe conscripsit. Videnda est autem editio plenissima, quæ *duobus voluminibus formæ maximæ* prodiit, partim *Londini* 1706. partim *Amstelodami* 1717. *

Cum ergo nummi, præsertim secundum ætates, seriesque distributi mirifice illustrent antiquitatem, non est mirum, ab aliquot sæculis industria summa conquisitos esse Studium enim hoc cepit initium cum ipsa instauratione bonarum litterarum. Et quidem in Italia opera *Petrarchæ*, *Alphonsi*, regis Arragoniæ, *Antonii Cardinalis* S. Marci, *Cosmæ Medicei*, filiique *Petri*, et Nepotis *Laurentii*: in Germania *Matthiæ Corvini*, *Ma-*

* Ipse quædam de usu nummorum admonui in opusculo: Ueber das Wesentlichste in der Geschichtkunde, oder von der Glaubwürdigkeit der Geschichtschreiber sowohl insbesondere, als überhaupt. III. Theil. 8. Regel.

ximiliani Cæsaris. Imo inter privatos fuit ingens numerus ubique terrarum colligentium nummos; in quibus eminet *Guilielmus Budæus.* * Sic orta Nummophylacia apud omnes populos cultiores.

Nostra ætate innumera visuntur; quorum ego celebriora tantum memorabo, idque paucissimis verbis; tantum ut ordinis causa dispescam hæc in nationes, ubi constructa fuerunt. Vellem autem recensioni huic præmitti Dissertationem AUGUSTINI CALMET *de vetustate moneta signatæ*, quam habes ante ejus *Commentarium in Genesin.*

IN GALLIA

REGIUM Parisiense: Abbatiæ ad S. GENOVEFAM ibidem.

IN ITALIA

VATICANUM Romæ: REGIUM Taurini: MEDICEUM Florentiæ: FARNESIANUM, quod Parma translatum Neapolim, ibique Academiæ donatum fuit: PISANUM: Honorii ARIGONI, quod Tarvisii in *statu Veneto* ostenditur: THEUPOLIORUM Venetiis.

IN GERMANIA

CÆSAREUM Vindobonæ: BRANDEBURGICUM Berolini: Ducis SAXOGOTHANI: Ducis WIRTENBERGICI Stutgardiæ: Electoris SAXONICI Dresdæ: MAGISTRATUS civici Lipsiæ: Electoris PALATINI Heidelbergæ.

IN

* Fusius hoc ostendit HUBERTUS GOLTZIUS *in Præfatione ad opera numismatica.*

IN BELGIO

Ducum Crojiorum, et Areschotiorum.
Regium Londini: Bodlejanum Oxonii.

IN SUECIA

Regium Holmiæ: Universitatis Upſaliæ.

IN DANIA

Regium Hafniæ.

Præter iſta, quæ hunc in diem principatum obtinent, nova plura poſt ſæculi labentis medium, ſi non colligi primum, certe augeri acceſſionibus magnis cœperunt. Qua de re conſuli poſſunt, qui ab illa tempeſtate *Itinera litteraria* typis mandarunt; quamquam in majus ſubinde ſolent tollere, qui hac notitia vel probe imbuti non ſunt, aut illa ſcrinia obiter percurrerunt. Ad utrumque ergo, peritiam et diligentiam, debent attendere, qui illa in manus ſumunt; quando periculum hodie majus eſt a jactantia, mendacio, adulatione communi, quam memoria patrum, cum ſtudium placendi nondum ſe effudiſſet.

Porro, qui vicinus eſt Nummophylacio, adire hoc frequentius debet, uſurpare oculis, et luſtrare per ſe unamquamque claſſem. Prudenter enim admonuit clariſſimus Ernesti in *Archæologia litteraria Parte II. cap.* 4: *Hæc ſcientia libris ſolis parari non poteſt, uſumque aliquem deſiderat inſpiciendis, et tractandis nummis ipſis, viſendisque Muſæis.* Aliquem dicit uſum. Nec enim negandum eſt, Muſæo uni familiarem poſſe deinceps ex ſola deſcriptione reliquorum proficere.

Caput XVIII.

Cognitio vetustissimarum Inscriptionum, hodieque extantium.

Inter illa præsidia, quibus Historiæ omnium ætatum vel restitutæ sunt, vel incrementum acceperunt, Inscriptiones non ultimum habent locum. Nec enim tot fraudibus exponuntur, quibus nummi, fraude qualibet, et artificio multiplici ficti toties, et adulterati, ut plane sit opus singulari dexteritate ad discernendum spurios a sinceris. Quam in rem commendo Dissertationem Gallicam Domini Beauvais, his ipsis diebus Germanice redditam. Titulus est: **Abhandlung, wie man ächte alte Münzen von nachgemachten unterscheiden kann.** 4 Dresden 1791. cui addendum *caput decimum* Joberti de re nummaria *ex editione Bimardi Parisina* 1739.

Utinam vero de usu sacro Inscriptionum quis cogitaret! Scio, Marquardum Gudium quid tale meditatum esse; fidem tamen minime liberavit, rebus aliis distentus. Nam, ut ingenue fatear, usus hic in omni genere doctrinæ varius ac prope major est, quam ille nummorum. Dum alius id operæ in se suscipiat, legendus venit Sebastianus Donatus, Luccensis Presbyter, qui nostra ætate supplevit ea, quæ Comes Scipio Maffeius imperfecta reliquit *Libro IV. cap.* 2. *et* 3. *appendicis luculentæ ad Thesaurum Inscriptionum Muratorii,* Mihi alius aut incognitus est,

aut

aut inter ſcribendum memoriam effugit. Uno verbo, hominibus, ad quos ſpectat, ſingulari Critica eſt opus in lapidibus cognoſcendis. Ut enim in Nummis, et Diplomatibus parum hodie deſideremus *, iſta multum abeſt a perfectione. Unum affero exemplum fructus ejus, qui exiſtit ab Inſcriptionibus antiquis. His maxime fracta eſt malignitas HARDUINI, ſcriptores priorum ſæculorum partem magnam pro commentitiis habentis; quod et alii et JOANNES MATHIAS GESNERUS *commentatione ſuper quatuor Inſcriptiones in Pocockiana collectione* ad oculum oſtendit.

Fuerit ergo pretium vetuſtiſſimas tranſcribere, quas temporum injuriæ reliquas fecerunt. Non quidem, quod eas traham ad res ſacras; ad quas minime nunc pertinent; pertinere autem pro loco ac tempore per nexus Hiſtoriæ facile poterunt; ut ſæpe factum in ceteris capitibus antiquitatum, ſive Græcarum, ſive Romanarum, ſive Barbararum.

Valde antiquas habeo Inſcriptiones, quæ apud CITIUM, urbem Cypri ad partem inſulæ orientalem, detectæ ſunt. Habent autem litteras Phœnicias, et viſuntur *in natura*, quod ajunt, in *Muſæo Oxonenſi.* Imagines vero exhibentur in SVIN-

U 4 TONI

* Videlicet ob opus Spanhemii, ſupra laudatum: novumque *Tractatum diplomaticum*, *a duobus Benedictinis ab anno* 1751. *ad annum* 1765. *Gallice* in lucem emiſſum.

TONI *Dissertatione de Inscriptionibus Citticis*: item in *Marmoribus Oxoniensibus*, quæ nuper splendidius, et cum variis additionibus prodierunt hoc titulo præfixo: *Marmora Oxoniensia, regi magnæ Britanniæ Georgio III. dicata, et edita cum præfatione Chandleri. Oxoniæ, è typographeo Clarendoniano, impensis Academiæ.* 1763. *in fol. max.* Dolendum quam maxime, quod SVINTONO haud conveniat cum aliis in reddendo sententiam illarum.

Secundo Inscriptiones in ARABIA DESERTA, ac maxime in monte SINAI. Sunt partim in Ægyptio, partim Arabico idiomate consignatæ. POCOCKIUS *junior*, sive RICHARDUS, ea translulit in *Tomum I. Itinerarii pag.* 148: et dubia, quæ MAFFEIUS *in Critica lapidaria Libro I. pag.* 9. opposuit, judicandi facultate magna expedivit.

Tertio AMYCLÆAS, prope Spartam veterem, quæ STEPHANUS FOURMONT *in Réflexions critiques sur les Histoires des Anciens Peuples, Chaldéens, Hebreux, Phéniciens, et Egyptiens, Grécs etc. jusqu'au temps de Cyrus* emisit.

Quarto SIGÆAS, a metropoli Troadis dictas. Antiquissimum hoc monumentum exhibet EDMUNDUS CHISHULL, primo seorsim, tum in *Asiaticis Inscriptionibus.* Versus autem a sinistra, et dextra flectuntur retro in morem sulcorum agrestium. Vide Tabulam huic capiti subjectam.

Quinto

Quinto plures apud RICHARDUM *Libro Inscriptionum antiquarum Græcarum, et Latinarum. Londini* 1752. *Tomis duob. in fol.*

Sexto HERCULANAS, quas legimus in ALOYSII SYMMACHI MAZOCHII *Commentario in regii Herculanensis Musæi tabulis*, apud nos minus raro, ac peregrino: ultimæ quatuor classes Græcæ sunt omnes, et inferioris ætatis.

Septimo ex Latinis non habemus vetustiores, quam LAMELLAS TIBURTINAS apud *Raphaelem Fabretti* in *Inscriptionum antiquarum, quæ in ædibus paternis asservantur, explicatione et additamento, cum emendationibus Gruterianis pag.* 461: item illas in basi columnæ DUILLIANAE: et *Senatusconsultum* DE BACCHANALIBUS. Verum nuper vir clarissimus JOANNES WINKELMANNUS **in der Geschichte der Kunst des Alterthums** *ad pag.* 292. in vase æneo quasdam ostendit superiores ætate.

Cujus vero ætatis sint, quæ paucis abhinc annis in AMERICA repertæ sunt, videnturque Punicæ, et factæ a nautis Carthaginensibus tempestate huc delatis, dies docebit. Nunc enim maxime dicuntur in hoc laborare Angli, ad quos missum est illarum exemplum. Promiserunt nempe amatoribus antiquitatum, velle se quamprimum explicationem edere in lucem. Certe in commentariis, quæ nova nuntiant, ipse legi obligatam fidem. Incisæ autem rupi ad ostium fluvii 50 milliaribus Anglicis Bostone distantis.

Qui hac in parte eruditionis curiosos se præbent, habent multum præsidii in opere doctissimo Blasii Cariophili, Societatis Jesu * *de antiquis Marmoribus*, cui accedunt etiam Dissertationes aliquot. *Vindobonæ.* 4 *anno* 1738.

Pertinet ad jacturas, quas orbis litteratus innumeras fecit, quod primum cœpit sæculo XV. perspicere, quanti momenti hæ reliquiæ sint, ad Historiam, ejusque præcipuam partem, Chronologiam videlicet, magis illustrandam. Si enim maturius venisset ad istam cogitationem, minus tarde essemus progressi in utriusque scientiæ principiis cognoscendis. Spem tamen idcirco non abjicimus, hodiernam solertiam, qua major nunquam fuit in his rebus, protracturam multa in lucem, quæ hactenus non tam implexa, ac recondita, quam sepulta penitus, vel oblitterata sæculis plurimis fuerunt. Docebunt autem varia, in quibus extricandis incassum hactenus vel doctissimi desudarunt. Sic nempe natura comparati sumus, ut spe præcipiamus, quæ votis ardentius persequimur. Obtinuimus quædam nec opinato. Ergo trahitur exspectatio, non præciditur; *quando*, ut ait Seneca, *spes improbissimas complectuntur insperata consecuti.* **

Nempe

* Alias Garofolo, qui fuit de gente Maronitarum, et Romæ exoticas linguas, ni fallor, publice docuit.
** *Libro I. de Clementia cap. I.*

Nempe et monumenta *Palmyrena*, quibus nuper aucti sumus, animos addiderunt. Fuit Palmyra urbs Syriæ vetusta, de qua parum sciebamus. Imperium quidem tam nobile reddidit Zenobia, ut nemini esset ignotum; verum de splendore, et magnificentia metropolis paucissima ad nos venerant ob temporum iniquitatem. Primus, quod constat, suscipiendi itineris auctor ROBERTUS HUNTINGTONUS. Ergo institutum fuit anno millesimo sexcentesimo octavo; verum cum casibus diversis impeditum fuisset, tandem ejusdem sæculi nonagesimo primo resumptum est. Sed multo curiosius versati sunt in perlustrando, qui nostra ætate, videlicet *anno* 1750. ex eadem gente illa loca peragrarunt. Incredibile vero dictu, quo operæ pretio posteriores duæ peregrinationes sint obitæ. Princeps illorum fuit ROBERTUS WOOD; cujus auspiciis pererrarunt solitudines Syriæ, regiamque illam sedem spectatum venerunt. Primus laboris fructus, isque amplissimus, quem superiores jam retulerant. Viderunt rudera ultra omnem mortalium expectationem; et splendorem urbis plusquam regium, imo plane stupendum. Sic enim constructa hæc fuit, ut omnia ædificia Romana superaret. Parum ad ejus majestatem Constantinopolis, parum Alexandria. Imo totus terrarum orbis simile nihil habet. Quis vero persuasisset sibi, in regione vasta, desertaque, quam præter latrunculos Arabes

bes sæculis multis nemo accessit, hæc artium prodigia latere!

Alter fructus ex antiquis Inscriptionibus relatus fuit. Inter istas enim opes antiquitatis multa legerunt, partem magnam Palmyrenis litteris, quæ sunt eædem cum Syris, consignata. Vide opus Anglicum *The Ruins of Palmyra, otherwise Tedmor in the Desart. fol. maj. Londini* 1753. Nihil deest, sive splendorem, sive diligentiam spectes.

Porro qui formam litterarum Phœniciarum, Samaritanarum, veterum Ægyptiarum videre cupit, adeat novam editionem CALMETI, quæ *Avenione* prodiit *sex voluminibus in* 4. ubi in *Dissertatione super Esdram* ab Abbate *de* VENCE seorsim exhibentur, et quidem æri incisæ.

TABU-

litteraria, ... quibus, ...
Scholarum, *et studiorum ratione*, quædam sunt pariter hus
facientia.

Ive in chartis.

Ista ducit s versibus. Est autem haud dubielorum, motum manus sequitur. jicere ejus exemplum.

A dexts. Ergo opposita est nostræ, haquam scribendo molestiam fingu nemini, qui litteras novit, potesplum posset, ob situm litterarum, erti.

TABU-

Vel a finistra finistram more Hebræorum progre ex utroque latere; quia quilibet ind En tibi specimen ex eadem Domi

A finistra ad

Pater no tuum. Adveniat regnum in terra

Panem dimitte nobis

litteraria, in quibus, quemadmodum in *Consultatione de Scholarum, et studiorum ratione*, quædam funt pariter huc facientia.

CAPUT XIX.

Cognitio Criticorum ipsorum, qui his de rebus præcipiunt.

Quia non ex usu solo, sed etiam placitis aliorum, sive Protestantium sive Catholicorum, has leges sancivimus, eorum syllabum subjicere nunc oportet; quando ipsa notitia non est nimiæ diligentiæ, sed habet suas opportunitates. Sunt autem duo genera; unum ferentium leges, alterum augentium eruditionem, vel vim judicandi acuentium.

Noscendi saltem sunt Critici, in quovis genere, rerum ac verborum.

§. I.

Syllabus auctorum Catholicorum.

Aldus MANUTIUS *de veterum notarum explanatione.*

Franciscus ROBORTELLUS *Disputatione de Arte corrigendi antiquorum libros.*

Guilielmus CANTERUS *Syntagmate de ratione emendandi Græcos auctores.*

Philippus Jacobus MAUSSACUS *Dissertatione Critica, de Harpocratione, ejusque scriptis.*

Gaspar SCIOPPIUS *de Arte Critica, et præcipue de altera ejus parte emendatrice.* *

Joannes PASSERATIUS *de Litterarum inter se cognatione, ac permutatione.*

Philippus CAROLI *Dissertatione de Criticis.*

Theo-

* Idem sub larva PASCASII GROSIPPI edidit *Paradoxa litteraria*, in quibus, quemadmodum in *Consultatione de Scholarum, et studiorum ratione*, quædam sunt pariter huc facientia.

Theophilus RAYNAUDUS *in Erotematis de malis, ac bonis libris.*

In Minutalibus sacris.

Henricus JUSTELLUS eruditiſſima *Præfatione in Patris sui Bibliothecam Juris Canonici veteris.*

Franciſcus FLORENS *de Origine, arte, et auctoritate Juris Canonici veteris.*

Henricus VALESIUS *Libris duobus de Critica (cum emendationibus Burmanni.)* Hos utinam abſolvere viro tanto licuiſſet!

Sertorius URSATUS *in Explanatione notarum, et litterarum, quæ frequentius in antiquis lapidibus, marmoribus, et auctoribus occurrunt.*

Hadrianus BAILLET *in Jugemens des Savans, Tom. I. et II.*

Joannes Petrus ERICUS *in Principio Philologico de vocum, ſignorum, punctorum, litterarum maxime, ac numerorum origine.*

BONAVENTURA *Argonenſis de optima methodo legendorum Eccleſiæ Patrum.*

Jacobus Benignus BOSSUET *in Defenſe de la Tradition, et des ſaints Peres.*

Joannes MABILLON *Tractatu de ſtudiis monaſticis.*

De re Diplomatica Libris ſex, cum Supplementis.

Bartholomæus GERMON *de veteribus hæreticis Eccleſiaſticorum codicum corruptoribus.*

Antonius PAGI *in Critica Hiſtorico-Chronologica in univerſos Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Baronii.*

RICHARDUS SIMON *in Bibliotheca Critica.*

ALPHON-

ALPHONSUS BAPTISTA *in Defensione Apologetica pro auctoritate S. S. Patrum.*

Nicolaus le NOURRY *in Apparatu ad Bibliothecam Maximam Patrum.*

Zegerus Bernardus van ESPEN præter *Prolegomena* brevia *in Jus Ecclesiasticum universum, Dissertationibus* aliquot eidem *Juri Ecclesiastico subjectis in ultimo Tomo.*

Claudius FLEURY *Dissertatione ad prima sex sæcula Historiæ Ecclesiasticæ.*

ANONYMUS *de moralibus Criticæ regulis compendiosa monita* 4. *Coloniæ.* 1706.

Cæsar VICHARD *de saint Real, de l'usage de l'Histoire.* Item *de la Critique.*

Ludovicus Antonius MURATORI *de ingeniorum moderatione in religionis negotio.*

Theodoricus RUINART *Præfatione in Acta primorum Martyrum sincera, et selecta.*

Ignatius de LAUBRUSSEL *in Traité des Abus de la Religion.*

Jacobus LADERCHIUS *Dissertatione de abusu Criticæ hodierno. Romæ.* 1726.

HONORATUS *a S. Maria, Animadversionibus in regulas, et usum Critices.*

MICHAEL *a S. Joseph,* qui mihi solo nomine notus, in *Crisi de Critices arte.*

Bernardus de MONTFAUCON *in Palæographia Græca.*

Remigius CEILLIER *in Apologie de la Morale des Peres.* Item *in Proœmio* fusissimi operis *Historiæ Ecclesiasticorum auctorum.*

ANTO-

ANTONIUS *Genuensis in Elementorum artis Logico-Criticae libris sex.*

Duo BENEDICTINI *e Congregatione S. Mauri in Nouveau Traité de Diplomatique, ou l'examine les fondemens de cet art.*

Liberatus FASSONUS *de Morali Patrum doctrina adversus librum Joannis Barbeyraci etc.*

Eusebius AMORT *in Principiis artis Criticae:*

Carolus PORÉE *Oratione de Criticis:*

Oratione in doctrinis quanti referat neque nimis, neque minus credere.

PETRUS THOMAS *a S. Barbara, in Critice apologetica veterum Patrum. Florentiae.* 1762.

Franciscus ROBERTI *in Arte Critica, et in Disquisitionibus Critico-Philosophicis et Historicis.*

Daniel TOBENZ *in Institutionibus usus et doctrinae Patrum.*

Joannes MARCHETTI *in Crisi Historiae et Dissertationum Abbatis Fleury,* quae nunc Germanice est reddita.

Adde opusculum nostrum, quod dixi, **über das Wesentlichste in der Geschichtkunde, oder von der Glaubwürdigkeit der Geschichtschreiber sowohl insbesondere, als überhaupt für einen jungen Herrn von Stand.** Item *Librum IX. operis de Eloquentia Patrum*, sive Dissertationes de ratione Patres legendi, enotandi, allegandi, imitandi.

Mitto alios, quos inter scribendum non habebam in numerato. Sunt enim quamplurimi, ut necesse foret lustrare exercitum, si velles tibi nullum excidere.

§. II.

§. II.

Syllabus auctorum Protestantium.

HENRICUS STEPHANUS *Dissertatione de Criticis veteribus Græcis et Latinis, eorumque variis apud Poëtas reprehensionibus.*

De origine Mendorum; qui utique huc faceret præ aliis, sed lucem non vidit. Equidem ad calcem castigationum Ciceronis subjecit menda in hoc varia cum causis illorum; verum ex *novis Litterariis Kohlii anno* 1738. *pag.* 34 satis nunc constat, illum alium, ac multo ampliorem esse librum.

Abraham SCULTETUS *in Aphorismis de fructuosa lectione Patrum*, præfixis *Medullæ Theologicæ Patrum.*

Josephus Justus SCALIGER *de Arte Critica Diatriba* ex Musæo Joachimi Morsi, 4. *Lugduni Batavorum* 1619.

Joannes a WOWER *de Polymathia Tractatione*, secundum editionem tertiam, 8. *Lipsiæ* 1665.

Daniel HEINSIUS *Dissertatione de veræ Criticæ apud veteres ortu, progressu, usuque, cum in disciplinis ceteris, tum in sacris.*

Joannes Gerardus VOSSIUS *de Artium et Scientiarum natura, et constitutione;* ubi et *de Philologia* dat librum singularem.

De litterarum permutatione Tractatu, qui præfigitur ejus *Etymologico.*

Joannes DALLÆUS *de uſu Patrum ad ea definienda religionis capita, quæ ſunt hodie controverſa, libris duobus* *.

Joannes WEITZIUS *Epiſtola Critica.*

Joannes Henricus HOTTINGERUS *in Elencho, ſive Catalogo ſcriptorum ſuppoſititiorum.*

Joannes FORBESIUS *a Corſe, in Inſtitutionibus Hiſtorico-Theologicis de Doctrina Chriſtiana, et vario rerum ſtatu, artisque erroribus et controverſiis, jam inde a temporibus Apoſtolicis ad tempora usque ſæculi decimi ſeptimi priora* **.

Daniel Georgius MORHOFIUS *in Polyhiſtore litterario, Philoſophico et Practico.*

Thomas BARTHOLINUS *Diſſertationibus VII. de libris legendis.*

Andreas RIVETUS *in Critico ſacro.*

Franciſcus BACO *de Verulamio Libro VI. de Scientiarum augmentis cap.* 4.

Joannes Michaël DILHERRUS *in Apparatu Philologiæ.*

Fridericus SPANHEMIUS, *filius, in brevi Introductione ad Hiſtoriam ſacram novi Teſtamenti.*

RICHARDUS SIMON *in Lettres Critiques* ***: *atque etiam in Bibliotheque Critique.*

Jaco-

---

* In hoc opere multum ingenii, et eruditionis: neque minus verſutiæ, et captiuncularum, quo tyronum attentionem utiliter exerceat idoneus magiſter.

** Horum ſedecim librorum editio aucta, et caſtigata habetur in *operibus* Forbeſii *ſimul editis Amſtelodami.*

*** *Ex editione Amſtelodami* 1730. *IV. Vol. in* 12.

Jacobus PERIZONIUS *de fide Historiarum contra Pyrrhonismum Historicum.*

In Animadversionibus Historicis.

Andreas BASNAGE *in Histoire de l'Eglise depuis Jesu-Christ jusqu'a présent.* Opponitur *Bossueti variationibus Ecclesiarum Protestantium*, debetque cum illis identidem conferri.

Guilielmus CAVE *Prolegomenis ad Scriptorum Ecclesiasticorum Historiam litterariam.*

JOANNES CLERICUS *in arte Critica, in Epistolis Criticis, et in Parrhasianis.*

Joannes Albertus FABRICIUS *in codice Apocrypho novi Testamenti.*

Christianus FALSTERUS *in Cogitationibus variis philologicis tripartitis:* sive, ut habet editio secunda, in *Amœnitatibus philologicis.*

Joannes Burchardus MENCKENIUS *de eo, quod justum est circa testimonia Historicorum, in Dissertationibus Academicis.*

Joannes Georgius WALCHIUS *de Scepticismo Critico. Tomo I. Miscellaneorum Lipsiensium.*

Joannes Franciscus BUDDEUS *in Isagoge Historico-Theologica ad Theologiam universam.*

Augustinus GRISCHOV *Introductione in Philologiam generalem, unacum succincta et selecta Bibliotheca scriptorum Philologiæ generalis.* 8. *Jenæ* 1715.

Christophorus Augustus HEUMANNUS *in Parergis Criticis.*

In Commentatione de arte Critica.

In Hebdomadibus Criticis.

In Glossematum Decade,

In Poecile, cum Appendice exhibente Dissertationes argumenti rarioris.

Mitto alia ejus huc pertinentia, sunt enim profecto multa.

Joannes Ernestus Immanuel WALCHIUS *de ortu, et progressu artis Criticæ apud veteres Romanos,* 8, *Jenæ* 1757.

Christophorus Henningius BÖHMERUS *Dissertatione de necessitate et utilitate studii Historiæ Ecclesiasticæ in Juris Canonici prudentia.*

Joannes Caspar HAGENBUCH *in Epistolis Epigraphicis.*

Joannes Augustus ERNESTI *Præfatione in Suetonium,* quæ mihi probatur vehementer. Sed et alia ejus viri magnopere huc faciunt, quæ omnia adscribere foret longissimum.

Joannes Salomon SEMLER in opusculo Germanico: Versuch den Gebrauch der Quellen in der Staats- und Kirchengeschichte der mittlern Zeit zu erleichtern. 8. Halle, 1761.

Georgius Christophorus HAMBERGERUS in Directorio Historicorum medii ævi. 4. *Göttingæ,* 1772.

Sæpissi-

Sæpiſſime vero in *Præfationibus ad editos claſſicos auctores* ſunt capita magni momenti huc ſpectantia. Exemplo ſit illa PETRI BURMANNI *ad ſecundam editionem Phoedri. Leidæ* 1727. ubi hiſtoriam hodiernæ Critices egregie illuſtrat.

De induſtria Proteſtantes Catholicis junxi. Non enim propter mala, quæ continent, etiam bona debebant rejici. De regulis plerisque inter nos convenit. Quo magis dolendum eſt, cum oporteret has rebus aptare, iri in partes tam præfracte, quaſi nunquam de illis transactum foret. Porro nec cum Catholicis, quos laudavi, ubique ſentiam: neque mihi *Quorum tamen multa nos minime probamus,*

— — — *ſunt omnia protinus alba,*

quæ viri cetera doctiſſimi pro ſuo quisque ſenſu judicabant. Poſtulant hoc leges ipſæ æquitatis, vetantque vehementer, illum, qui ceteris, ubicunque licet, relinquit ſentiendi libertatem, ejus uſu ipſummet privare. Itaque in rebus, quæ mihi videntur parum expenſæ, aut venire ab opinionibus præjudicatis, iſta religione dudum me exſolvi: neque recordor ſine moleſtia, quanti ſteterit, ut aſſerto jure depellerem jugum; quod his graviſſimum impoſitum eſt, qui ſemel induxerint in animum, ſe facere ſemper cum quamplurimis debere: nec ſine piaculo a mente magiſtrorum, quibus aſſueverant, recedere poſſe. Hoc dum mihi arrogo, tanto paratior ſum emendari ab his, qui viderint, receſſiſſe me tantiſper a vero, quod vo- *Sed nec noſtra vendi-tantes aliis.*

 lebam

lebam tueri, vel illustrare. Est enim præcipuum in bono viro, ut porrigat herbam cuicunque, a quo se viderit modeste confutatum. Doceri ipse vult, cum docet alios: nec amore sententiæ suæ fumum vendit, quo excipiat oculis prospectum ulteriorem. Relinquit hoc impotentibus, qui se efferunt supra conditionem humanam: vel in vulgus commendationis quid quærunt in opinandi licentia; eligentes sæpe clarissimum nomen, in quod invehantur: satiusque existimantes, judicia explorata pro commentis haberi, quam suum aliquem errorem deprehendi. Fuerit id usitatum in judiciis urbanis Romanorum, ubi quisque volens magnis inimicitiis clarescere, etiam juvenis, etiam obscurus, viris præcipuis diem dixit. Quando aguntur causæ in foro litterario (agi autem inter hos solos debent, qui sunt judicio subacto, habentque affectus in potestate) non est, quod sibi quis metuat ex mente mutata. Nil enim hi spectant præter veritatem; a qua voluntate summa patiuntur se vinci, si quando per communem nobis infirmitatem imprudentibus quid excidit inter scribendum, quod illi adversetur. Atque hæc est ex præcipuis sententiis beati AUGUSTINI, quibus maxime afficior. Monet enim *Epistola* 238. *ad Pascentium: Bonum est homini, ut eum veritas vincat volentem; quia malum est homini, ut eum veritas vincat invitum. Nam ipsa vincat necesse est, sive negantem, sive confitentem.* Videtur autem prin-

ceps

ceps fructus Criticæ artis, ut agnitæ veritati manus demus. Aut quo mihi omnes ejus regulas, quas lego, vel perſcribo, ſi, cum uſus tulerit, earum rationem ipſe non habeam? Secundum facinus corruptorum, qui veritatem premunt ex inſtituto, non eſt gravius, quam illorum, qui diſſimulant actibus, dicentes aliter, aliterque facientes. Quod ſane in dies nunc vires ſumit apud ſtudioſos novarum rerum: neque poteſt tolli quacunque opera data; licet pertineat ad communem calamitatem: ac reipublicæ tam profanæ quam ſacræ peſtem certiſſimam, ipſumque exitium ſit allatura. Et quem vitæ non tædeat, in qua nullus jam honos conſtet ſive cognatæ, ſive excultæ rationi? Sed quando non licet contra torrentem niti, tam exemplo, quam verbis illi hæreamus cum paucis, dum fato perfuncti evaſerimus ex tot nebulis ad videndam in puriſſima luce conſtitutam veritatem, fruendumque ſorte meliori, quam Servator omnibus promiſit, qui non ſinunt ſe abripi vulgaribus vitiis: neque pergunt illa lata, tritiſſimaque via, quæ ducit ad tenebras ſempiternas. Id unum ſolatii relictum eſt nobis; quia in republica litterarum ſingula turbata ſunt: et ut fieri ſolet in maxime capta urbe, ubi non igni, non ferro abſtinetur, neque ipſa religio retinere poteſt ruentes in prædam; quia evertitur, qui obſtat, et inter communes iras, cruentasque manus temerantur ſacra et profana

Ut fit hodie a rerum novarum ſtudioſis, odiumque Eccleſiæ palam profeſſis.

nullo diſcrimine; ſic iſtis, velut ſigno ad miſcendum dato, nullus recti, nullus pudoris reſpectus. Per conſuetudinem, ac impunitatem ſoluti legibus errores ſunt: quique conjurarunt adverſus veritatem, conſilium in viribus, ac victoriam in numero habent; ut ſcias graſſatores eſſe, non philoſophos, dum nomine Critices, et ſapientiæ ad noſtram perniciem abutuntur, noluntque nos

ſervata ſupplicia ante credere,
quam experiri.

EPI-

EPISTOLA

AD

AMICUM,

AUCTORIS OLIM DISCIPULUM,

DE

FACIENDO DELECTU

IN

MONUMENTIS VETERUM COGNOSCENDIS,

QUÆ

nunc cum ipſo DELECTU vulgatur in uſus omnium,
quibus non voluntas, ſed otium deeſt
ad plurima verſanda.

EPISTOLA

DE

SACRA LECTIONE VETERUM.

Amice!

Negas, per tot occupationes tibi licere, ut *alia, præter præcipua quædam*, legas ex Ecclesiæ ſcriptoribus; idque cito perſuades. Sed nec propter antiquam in me voluntatem recuſare poſſum, quod petis, nempe indicem horum, quæ præcipua judico in omnibus, ſive hiſtoriam, ſive dogmata, ſive mores, ac diſciplinam Ecclesiæ illuſtrent. Texui illum ordine temporum, et Hiſtorica a ceteris ſecrevi. Nam Exegetica, ut alias dixi, annos ſibi plures ſola vendicarent. Itaque hæc aliis debes relinquere, contentus probo interprete, CALMETO, MENOCHIO, WEITENAUERO, TIRINO. Nullum autem ſcripturæ locum allegabis, minus pro concione explicabis hoc inconſulto, ejusve ſententia non aliunde jam cognita. Porro cum ſcriptoribus Eccleſiæ optime feceris, ſi e proxima Bibliotheca quemlibet petas eadem ſerie, qua illum hic collocavi. Vale, meique in ſacris memor eſto

Tuus

I. A. W.

CAPUT

Caput I.

Index præcipuorum, quæ spectant Ecclesiæ Historiam.

Flavii Josephi *de Bello Judaico Libri VII.*

Ex primis Ecclesiæ sæculis. Acta *Martyrum sincera, a Theodorico Ruinart collecta.*

Lactantii *de mortibus persecutorum Liber.*

Eusebii *Cæsariensis Historia Ecclesiastica.*

Ex proximis. S. Athanasii *Vita Antonii Abbatis.*

S. Gregorii *Nysseni Vita S. Gregorii Neocæsariensis.*

Sulpitii Severi *Historia sacra.*

Vita S. Martini, cum appendicibus.

Dialogi.

S. Gaudentii *Vita S. Philastrii.*

S. Hieronymi *Vita S. Pauli.*

Vita S. Hilarionis.

Vita Malchi monachi.

Vita S. Paulæ, Marcellæ, Fabiolæ, Nepotiani etc. *

De Muliere septies icta.

Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum.

S. Hilarii *Arelatensis Vita S. Honorati Massiliensis.*

S. Nili *Narratio de cæde Monachorum montis Sinæ.*

De laudibus Albiani Galatæ.

Theodoreti *Historia ecclesiastica.*

Philotheus, sive Historia religiosa.

Victoris *Vitensis Historia Persecutionis Vandalicæ.*

Malchi *Fragmenta duo* amplissima. Photius *præstantissimum* vocat *Historicorum, eorumque normam.*

S. Ennodii *Vita S. Epiphanii Ticinensis.*

Theo-

* Nisi has mavis legere cum *Epistolis*, quibus insunt.

THEODORI *Lectoris Excerpta Hiſtoriæ eccleſiaſticæ.*

MARCELLINI *Comitis Chronicon.*

JORNANDIS *de Getarum, ſive Gothorum origine, et rebus geſtis Hiſtoria.* *

PROCOPII *Libri VIII. Hiſtoriæ.*

Hiſtoria arcana.

AGATHIÆ *continuatio ejusdem Hiſtoriæ.*

EVAGRII *Scholaſtici Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Libri VI.*

S. GREGORII *Turonenſis Hiſtoria eccleſiaſtica Francorum.*

MARCULPHI *Formulæ veteres.*

FREDEGARII *Scholaſtici Libri V. Hiſtoriæ chronographicæ.*

Pauli WARNEFRIDI *de geſtis Longobardorum Libri VI.*

THEODORI *Studitæ Vita S. Platonis Abbatis.*

EGINHARDI *Vita Caroli magni.* **Ex mediis.**

Annales regum Francorum.

FRODOARDI *Annales.*

Hiſtoria Eccleſiæ Rhemenſis.

DITHMARI *Chronicon Martisburgenſe.* **Ex poſterioribus.**

LAMBERTI *Schaffnaburgenſis Hiſtoria Germanorum*, quam Scaliger, quam Barthius, etiam ſtili et Chronologiæ cauſa, vehementer commendant.

SIGEBERTI *Gemblacenſis Chronicon.* **

BALDERICI *Chronicon Cameracenſe, et Atrebatenſe.*

NESTORIS *Monachi Chronicon Ruſſicum.*

NE-

---

* Eodem pertinent S. ISIDORI *Hiſpalenſis Chronicon Gothorum, Vandalorum, Suevorum, et Wiſigothorum* PROCOPII *Fragmentum de priſcis ſedibus, et migrationibus Gothorum.*

** Quod cum magni fiat propter varia, quæ alibi fruſtra requiras, tamen vitiis minime caret. Nam et Proteſtantes ei exprobant quædam fabuloſa, erroresque chronologicos. Studia vero partium Henrici IV. adverſum Pontifices Gregorium VII., Urbanum, et Paſchalem ſecundos in aperto ſunt.

NESTORIS *Monachi Vitæ quorumdam Abbatum*, *et monachorum cœnobii Peczerini.*

HUGONIS *Floriacensis* (qui alius est ab æquali eorum temporum Historico, *Hugone Flaviacensi*) *Chronicon*, et *excerpta Chronica*, olim Ivoni Carnotensi tributa.

ALBERTI *Chronicon Jerosolymitanum.*

EADMERI *Historia Novorum.*

WILHELMI *Malmesburiensis* omnia.

S. BERNARDI *Sermo XXVI. in Cantica.*

De obitu Humberti.

Vita S. Malachiæ.

PETRI *Cluniacensis de Miraculis sui temporis Libri duo.*

OTTONIS *Frisingensis Chronicon.*

De gestis Friderici I. Libri duo.

GUILIELMI, ARNOLDI, et GAUFRIDI *Vita S. Bernardi.*

Quæ omnia potes concludere lectione *Chronici Gottwicensis*, ætate nostra editi, quod est sane præstans, usumque maximum habet.

CAPUT II.

Index præcipuorum, quæ spectant Ecclesiæ Dogmata.

Ex primis Ecclesiæ sæculis.

TERTULLIANI *Apologeticus.*

Præscriptiones adversum Hæreticos.

MINUTII *Felicis Octavius.*

CLEMENTIS *Alexandrini Adhortatio ad Gentes.*

ORIGENIS *Libri contra Celsum.*

LACTANTII omnia, quæ contra Philoſophos, et Gentiles habet. Nil enim his pulchrius, gravius, firmius.

ALEXANDRI *Alexandrini Epiſtolæ tres reſiduæ* ex ſeptuaginta, plane excellentes. Apud *Socratem*, *Theodoretum*, *Cotelerium*. *

EUSEBII *Cæſarienſis Præparatio evangelica.*
Demonſtratio evangelica.

S. ATHANASII *Oratio contra Gentes.* *Ex proximis.*
Oratio de Incarnatione.
Epiſtola de Sententia Dionyſii.
Orationes duæ contra Arianos.
Apologia ad Conſtantium.
Epiſtola ad Monachos.
Epiſtola ad Epictetum.
Libri II. contra Apollinarium.
Encyclica ad Epiſcopos Epiſtola.
Epiſtola ad Epiſcopos Ægypti, et Lybiæ.
Libellus de legatione Eccleſiæ Ancyranæ, primum repertus poſt opera a Maurinis vulgata.

S. BASILII *M. Libri in Eunomium.*
Opuſcula dogmatica minora, quæ pro ſinceris habentur, ut *Libellus de Fide* egregius.

S. OPTATI *Milevitani Libri VII. de Schiſmate Donatiſtarum.*

S. GREGORII *Nazianzeni Orationes quinque de Theologia*; quarum longe præcipua eſt ſecunda.

Adde

---

* Præcipuam Cardinalis Perronius ita extollit, quaſi ſimile nil prodiiſſet etiam noſtra ætate. *In Perronianis* pag. 21.

Adde alias, ſive myſteria ſive rem Arianam ſpectantes.

S. Paciani *Epiſtolæ ad Sempronianum.*

S. Gregorii *Nyſſeni Libri adverſus Eunomium*, in quibus pars poſterior excellit.

Antirrheticus adverſus Apollinarem.

Catecheſis.

S. Ambrosii *Libri de Pœnitentia.*

De Fide.

De Incarnationis Dominicæ ſacramento.

De Spiritu S.

Nemesii *Liber de Homine.*

Prudentii *Libri contra Symmachum ac veterem Deorum gentilium cultum.*

Apotheoſis, et *Hamartigenia*, quæ ſunt reipſa idem opus.

Joannis Chrysostomi *Liber ad eos, qui ſcandalizati ſunt.*

Homiliæ quinque de Incomprehenſibili.

Orationes adverſus Judæos.

Homilia: Filius ex ſe ipſo nihil facit.

Homiliæ in Joannem, quoties Anomæos impugnant.

Homilia in illud: in faciem Petro reſtiti.

Homiliæ duæ de Prophetarum obſcuritate.

Rufini *Explicatio Symboli.*

S. Hieronymi *Libri contra Jovinianum.*

Liber contra Helvidium.

Liber contra Vigilantium.

Dialogus adverſus Luciferianos.

S. Hie-

S. HIERONYMI *Dialogi contra Pelagianos.*

S. AUGUSTINI *Liber de vera Religione.*

Libri duo contra Academicos.

Libri de Civitate Dei.

Enchiridion ad Laurentium; ubi doctrinæ morum ſynopſin dogmatum præmittit.

Liber contra Secundinum Manichæum.

Libri contra Fauſtum Manichæum.

Libri duo contra Maximinum Epiſcopum.

Libri III. contra litteras Petiliani, quorum tertius admirabilis eſt.

Libri IV. contra Creſconium Grammaticum.

Libri ad Simplicianum.

Libri ſex prioris refutationis *contra Julianum.*

His adde dogmatica varia, eaque præcipua ex *Epiſtolis*; quamquam præſtat a lectione harum illa non diſtrahere. Quod etiam de dogmaticis *Sermonibus* dictum exiſtima.

S. CYRILLI *Alexandrini, Libri X. adverſus Julianum apoſtatam.*

Theſaurus de ſancta et conſubſtantiali Trinitate ad Nemeſinum, quod opus omnibus præſtat.

Adverſus Neſtorii Blasphemias contradictionum libri quinque.

S. VINCENTII *Lirinenſis Commonitorium.*

THEODORETI *Sermones decem de Providentia.*

Libri de curandis affectionibus Græcorum.

S. PETRI *Chryſologi Epiſtola ad Eutychem.*

BASILII *Seleucienſis Sermo* 38. ubi præclare contra Judæos, veniſſe Meſſiam, oſtendit.

S. LEONIS *M.* aut cujuscunque, *Libri duo de Vocatione omnium gentium.*

S. PROSPERI *Carmen de Ingratis.*

Carmen illi tributum *de Providentia.*

ÆNEÆ GAZÆI *Theophraſtus, ſive de animarum immortalitate, et corporum reſurrectione.*

S. FAUSTI, *Rejenſis, Epiſtola ad Lucidum.*

Dialogus.

SEVERINI BOËTHII *de Conſolatione Philoſophiæ Libri V.*

JOANNIS *Philoponi, Commentarii in Moſaicam mundi creationem*, qui ſunt præclari, et dogmatis plus habent, quam exegeſeos.

S. JOANNIS *Damaſceni, Libri de orthodoxa Fide.*

Orationes de Imaginibus.

Diſſertatio contra Epiſtolam Marci Epheſini.

Dialogus contra Manichæos.

Tractatus contra Jacobitas.

Tractatus de duabus in Chriſto voluntatibus.

S. MAXIMI *Confeſſoris*, opuſcula *contra Monothelitas*, quæ ſunt plura.

De Theologia, deque Filii in carne diſpenſatione capita ducenta.

THEODORI *Abucaræ, opuſcula contra Hæreticos, Judæos et Saracenos.*

Ex mediis. S. THEODORI *Studitæ*, opuſcula dogmatica *adverſum Iconomachos.*

AGOBARDI *adverſus legem Gundobardi, et impia certamina, quæ per eam geruntur.*

AGO-

AGOBARDI *contra judicium Dei, ſive damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum fieri.*

De grandine et tonitruis liber.

Epiſtola ad Bartholomæum Narbonenſem.

Liber de pecorum lue, et ejus cauſa.

RABANI MAURI *Epiſtolæ tres de Prædeſtinatione Dei adverſus Gotheſchalcum.*

LUPI SERVATI *Liber de tribus Quæſtionibus*, videlicet *Libero arbitrio*, *Prædeſtinatione*, *Redemptione.*

PHOTII *adverſus recentes Manichæos libri quatuor.*

Sex breves Diſſertationes Theologicæ de Divinitate et Incarnatione.

Quædam ex *Amphilochiis*, quæ huc faciunt.

HUMBERTI *Cardinalis, opuſcula adverſum errores Græcorum.* *Ex poſterioribus.*

GUITMUNDI *Averſani, Libri III. de veritate corporis et ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.*

LANFRANCI *Liber de corpore et ſanguine Domini.*

Liber de celanda confeſſione.

Petri ALPHONSI, ex Judæo chriſtiani, *Dialogi duodecim contra Judæos*, addito *Samuelis* MAROCCHIANI *libello* ejusdem argumenti.

S. ANSELMI *Cantuarienſis, Monologium et Proſologium*, quæ agunt de exiſtentia, natura, et trinitate Dei.

Liber Apologeticus contra Gaunilonem reſpondentem pro inſipiente. Hic proſequitur Proſologium, et clariſſimus Leibnitius in eo veſtigia profundiſſimi ingenii detexit.

S. ANSELMI *Cantuarienfis*, *Liber de Fide Trinitatis, et de Incarnatione Verbi contra blasphemias Rofcelini.*

Libri tres de veritate, de libero arbitrio, et de cafu diaboli *.

De concordia Præfcientiæ et Prædeftinationis, nec non gratiæ cum libertate.

Euthimii ZIGABENI *Panoplia adverfus omnes Hærefes.*

HILDEBERTI *Cenomanenfis, Tractatus Theologicus* **.

Petri ABAELARDI *Libri V. Theologiæ chriftianæ* faltem obiter conferendi funt cum *Libris Sententiarum Petri Lombardi*; ut videas ex *Libro I. et V.* pleraque ad verbum inde hunc tranftuliffe.

Roberti PULLI, vel *Pulleni Libri VIII. Sententiarum de Trinitate;* quos faltem luftrare decet. Habent enim imaginem veteris, finceræque Theologiæ. Unde nec miror, ex quo fonte manarit cognitio divinarum rerum, quam apud eam ætatem in quibusdam non Scholafticis reperio.

S. BERNARDI *Tractatus de Gratia, et libero arbitrio ad Guilielmum.*

Tractatus contra quædam capitula errorum Abaelardi ad Innocentium II. qui et legitur inter *Epiftolas ordine* 190.

S. BER-

* Debent autem fecundum auctoris mentem hoc ordine legi: etfi alio funt ab illo perfcripti.

** Hoc Scholafticos non tam ætate, quam perfpicuitate, foliditate, brevitate plufculum ille præivit.

S. Bernardi *Tractatus ad Hugonem de S. Victore, de Baptiſmo, aliisque quæſtionibus ab ipſo propoſitis*, qui itidem inter *Epiſtolas* legebatur.

Petri *Cluniacenſis, Epiſtola ad Petrum de S. Joanne contra eos, qui dicunt, Chriſtum nunquam ſe in Evangelio aperte Deum dixiſſe.*

Tractatus adverſus Judæorum inveteratam duritiem; qui ſi cetera abeſſent, vel eloquentiæ cauſa legendus foret.

Epiſtola ad S. Bernardum de translatione Alcorani, cum *Summula brevi de erroribus Saracenorum.* Addendi *Libri duo adverſus nefandam Sectam Saracenorum*; nam ex quatuor hi ſoli ſuperſunt.

Tractatus adverſus Petrobruſianos.

Caput III.

Index præcipuorum, quæ ſpectant Eccleſiæ mores, ac diſciplinam.

S. Clementis *Romani, Epiſtolæ duæ ad Corinthios.* *Ex primis Eccleſiæ ſæculis.*

S. Ignatii *Epiſtolæ ſeptem germanæ.*

S. Polycarpi *Epiſtola ad Philippenſes.*

Clementis *Alexandrini Pædagogus.*

Tertulliani *de Oratione.*

De Pœnitentia.

De Spectaculis.

TERTULLIANI *de habitu muliebri*, et ejusdem argumenti opuſculum *de cultu fœminarum.*

De velandis virginibus.

De Patientia.

Ad Martyras.

ORIGENIS *de Precatione liber.*

Exhortatio ad Martyrium.

S. CYPRIANI *Sermones*, ſive Tractatus *.

Epiſtolæ.

S. GREGORII *Thaumaturgi*, *Oratio ad Origenem.*

S. ATHANASII *Epiſtola ad Dracontium.*

Ex proximis. S. EPHRÆMI omnia præter Exegeſes.

S. BASILII *M. Homiliæ*, quarum pleræque de moribus agunt.

Aſceticorum Libri duo.

Libellus de Judicio Dei.

Epiſtolæ 428. quas inter tres *Canonicæ* ſunt ad *Amphilochium.*

S. GREGORII *Nazianzeni* Orationes morales *in plagam grandinis.*

De pauperum amore.

De moderatione in diſputando duæ.

Tres de Pace.

Quatuor Apologeticæ.

Quo etiam pertinent plures, quibus quorumdam laudem exequitur, *Epiſtolæ* item, et *Carmina* multa.

S. PA-

---

* Non omiſſis ſuppoſiti ſic, ſed valde antiquis ac ſalutaribus, *de Spectaculis*, *de Pudicitia*, *de Singularitate Clericorum.*

S. PACIANI *Parænesis.*

S. AMBROSII *de Virginibus Libri III.*

De Virginitate liber unus.

De Institutione Virginis ad Eusebium liber unus.

Exhortatio Virginitatis.

De lapsu virginis consecratæ liber unus.

Liber de Viduis.

Libri de Officiis.

Liber de bono Mortis.

Quæ scripsit in quasdam Scripturæ historias, mores habent, ac elegantiam haud vulgarem; ut *Liber de Nabuthe*, *Apologia David secunda* etc.

Accedunt *Epistolæ* magis insignes, præsertim *ad Imperatores*, et *duæ ad sororem.*

S. ASTERII *Homiliæ.*

PRUDENTII *Libri Peristephanon, Cathemerinon, Psychomachiæ.*

S. CHRYSOSTOMI *Libri de Sacerdotio.*

Paræneses ad Theodorum.

Libri de Compunctione cordis.

Liber de Virginitate.

Libri duo ad Viduam juniorem.

Comparatio Regis et Monachi.

Libri tres ad Stagyrium.

Libri duo in Clericos, ac fœminas una viventes.

Libri tres adversum oppugnatores vitæ monasticæ.

S. CHRYSOSTOMI *Liber, quod nemo læditur nisi a seipso.*

Epistolæ omnes.

De innumeris *sermonibus*, item de *parte morali* Commentariorum in libros Scripturæ arduum est hic dicere; quia his solis nominandis aliquot paginas implerem. Ut videas, qui ceteris præstent, lege *caput* 3. *Dissertationis nostræ de Eloquentia S. Joannis Chrysostomi*, quam habes *Libro III. de Eloquentia Patrum.* Nam ibi recensentur copiose, ac velut de palma inter se quam plurimi contendunt.

S. GAUDENTII *Sermones undeviginti.*

SULPITII SEVERI *Epistolæ*, sane præstantes.

PELAGII Hæretici *Epistola ad Demetriadem de Virginitate*, perelegans.

S. HIERONYMI *Epistolæ selectæ.* Sub nomine *Tullii Christiani* prodierunt *Parisiis* 1718. *studio Monachi Maurini. in* 12.

S. AUGUSTINI *Libri priores Confessionum.*

Libri de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, et de Moribus Manichæorum.

Enchiridii ad Laurentium pars altera, quæ mores tangit.

Liber IV. de Doctrina Christiana, quo instituit sacrum oratorem.

S. Au-

S. AUGUSTINI *Liber de Mendacio*, et alius *contra Mendacium.*

Liber de bono Viduitatis.

Inter *Sermones*, quorum eſt ingens numerus, debet delectus fieri; ut facile poteſt *in Editione Maurina*; modo ad *Argumenta* attendas, quæ trita non ſunt; ſed habent quid peculiare, ſpectantve diſciplinam. Cuique vero ſuum argumentum illa editio præmittit.

SYNESII *Epiſtolæ*; ubi præcipue debet haberi ratio 58ª. Quamvis non Epiſtola, ſed *Decretum* eſt, præfecto impio ſacra interdicens. Miro autem ardore percellit ipſum legentem.

Concio dicta in maximam barbarorum incurſionem.

Concio in laudem Anyſii.

Homilia in pervigilio Natalis Domini.

Oratio de regno ad Arcadium Imperatorem.

Hymni decem.

S. PAULINI *Nolani*, *Epiſtolæ et Carmina.*

S. JOANNIS *Caſſiani*, *Collationes Patrum*, ac cetera de Monachis.

S. CYRILLI *Alexandrini*, *Homiliæ Paſchales*, et quædam aliæ.

S. ISIDORI *Peluſiotæ Epiſtolæ.*

SEDULII *Opuſcula.*

S. Nili *Epistolæ.*

Libellus de octo vitiosis cogitationibus.

Moralia et *Ascetica* alia, quæ habent potiorem usum; ut maxime sunt ejus *sententiosa*; in quibus, quemadmodum in *similibus*, mirum est, quantum valeat religiosissimus scriptor.

S. Eucherii *Paræneſis ad Valerianum.*

Epiſtola de laudibus Eremi ad Hilarium Arelatenſem.

Sermones plerique, *Euſebii Gallicani* nomen gerentes.

Theodoreti *Epiſtolæ.*

Oratio de Charitate, plane egregia.

Salviani omnia, etiam *novem Epiſtolæ.*

S. Leonis *M. Sermones.*

Epiſtolæ, nunc 141. addita quoque illa, neſcio cujus, de *Humilitate ad Demetriadem.*

Inter *Appendices* quædam reliquiæ antiqui juris ſunt, valde pretioſæ.

S. Gregorii *M. Epiſtolæ.*

Libri moralium in Jobum.

Libri in Ezechielem.

Homiliæ in Evangelia, quorum multæ ſunt prorſus inſignes.

S. Columbani *Epiſtolæ* præclaræ, cum reliquis brevibus libellis.

S Joannis *Damaſceni, Carmina.*

Sacra Parallela.

LUPI SERVATI *Epiſtolæ.* Egregiæ ſunt enim, ac ſupra conditionem temporum illorum. *Ex reliquis ſæculis.*

FULBERTI *Carnotenſis Epiſtolæ*, quæ etſi ſint fere hiſtoricæ, tamen mores habent.

S. ANSELMI *Cantuarienſis*, *Epiſtolæ.*

Exhortatio ad contemptum temporalium, et deſiderium æternorum *.

Admonitio morienti.

SIGEBERTI *Gemblacenſis*, *Epiſtolæ duæ de regula S. Bernonis*, *et de Jejuniis quatuor Temporum.*

HUGONIS *Floriacenſis de Regia poteſtate*, *et ſacerdotali dignitate libri duo ad Henricum Anglorum regem.* Sunt enim cum judicio, et dignitate perſcripti.

S. BERNARDI *Epiſtolæ;* in quibus quædam ſunt curſim ſcripta, neque limam paſſa; tamen omnium ingens robur, ſapientia, libertas, pondus ſententiarum, varietas, et ubertas doctrinæ. Illæ, quas polivit, ſplendorem præterea, et elegantiam habent ſingularem.

Libri de Conſideratione.

Tractatus de moribus Prælatorum ad Henricum Senonenſem.


S. BER-

* Hoc opuſculum, quod nervos habet, vehementer miror, oratoribus ſacris tam incognitum eſſe potuiſſe.

S. BERNARDI *Tractatus de Converſione ad Clericos.*
Apologia ad Guilielmum Abbatem.
Sermones omnes; quia plurimum valent ad pietatem: et in *parvis* quoque (quos mallem *Fragmenta* dici) paucos reperias, in quibus nil ſplendeat, vel afficiat.

PETRI *Cluniacenſis Libri VI. Epiſtolarum*, ſane præclari. Quibus reliqua adde, ad pietatem, vel diſciplinam ſpectantia. Suus cuique honos conſtare debet.

Quodſi in tanta copia hominum et librorum quid omiſi, vitio memoriæ tribuas, non incuriæ, non fugæ laboris, minus remiſſæ in te voluntati.



SPECIMEN

EXERCITATIONIS CRITICÆ,

DE

CANONIBUS SARDICENSIBUS,

QUOS FERUNT

A SEDE ROMANA

PRO NICÆNIS OBTRUSOS.

Momento infligitur vulnus, quod diu curandum est, praesertim ubi inveteravit. Sic facere calumniam, quam depellere facilius, postquam coepit sermonibus hominum ferri, et absunt longius, qui deberent revincere.

SPE-

Digitized by Google

SPECIMEN

EXERCITATIONIS CRITICÆ,

DE

CANONIBUS SARDICENSIBUS,

QUI DICUNTUR

A SEDE ROMANA

PRO

NICÆNIS FUISSE PER FRAUDEM OBTRUSI.

ADVERSUS

JOANNEM DALLÆUM.

---

§. I.

Recitantur verba Dallæi.

Ex interpretatione Mettaveri, ab auctore probata, imo illi nuncupata.

„Sed quod longe maximi momenti eſt, ipſi „etiam Patres, ſeu propriæ ſententiæ ſtudio „tenerentur, ſeu affectibus nimis indulgerent ſuis, „has artes interdum adhibuerunt. Exemplum ha- „bemus inſigne, et quod Latinis ante ducentos an- „nos Græci objecerunt. * Contendentibus inter „ſe Pontificibus Romanis et Synodis Africanis; „illis quidem totius orbis chriſtiani ad ſuam Se- „dem appellationes ſibi vindicantibus **, his con- „tra-

---

* *Conc. Florent. Seſſ.* 20. p 460. 461.

** Erzo valde vetuſtas oportet has Poſtulationes eſſe, ſi jam *initio V. Sæculi* lex conſuetudinis illi obtenta eſt. En exemplum obſervationis, quales fieri debent inter legendum, ſive veteres, ſive novos; ac maxime tum, quando obtrectant. Ut enim aliud non dicam, fit ſæpiſſime, ut gladio, quo hoſtem petunt, ipſi ſe vulnerent graviſſime. Verum de bac conſuetudine paulo plura infra dicemus.

„tranitentibus: ZOZIMUS, et BONIFACIUS, Epi-„ſcopi Romani, obtruſere Africanis quosdam Ca-„nones, quaſi Concilii Nicæni, quibus eas ad ſe „pertinere confirmarent. * Commoti Afri (hæc „autem ineunte quinto ſæculo acta ſunt) illico „Conſtantinopolim, Alexandriam, et Antiochiam „mittere: in optima, incorruptiſſima, adeoque „authentica Concilii Nicæni exemplaria inquirere: „nec labori, nec diligentiæ parcere; Canones ve-„ro iſti, Nicæni ſcilicet, nusquam comparere. „Enimvero, etſi Canones, et Acta Nicæna, quæ „nunc teruntur, ex illo tempore per multas ma-„nus tranſiverint, iis tamen nihil ejusmodi con-„tinetur; nequidem in editionibus, quas homi-„nes dignitatis Pontificiæ ſtudioſiſſimi procurarunt; „qualis illa Latina eſt, quam collegit, et edidit „DIONYSIUS *Exiguus, circa annum Domini* 525: „neque in ullis aliis, ſeu veteribus, ſeu recen-„tibus. Nam quod attinet ad illud *Concilii* NI-„CÆNI exemplar, quod neſcio, quis *Frater* JOAN-„NES in *Synodo* FLORENTINA ſolum illibatum „evaſiſſe a corruptelis Arianorum, proptereaque „ſub clavi diligenter clauſum, et ſigillo munitum „Romæ aſſervatum contendit **, ex quo Canones „illi deſumpti ſunt; næ oportet revera arctiſſime „obſerratum, et obſignatum fuiſſe; cujus in re „tanti momenti ne tribus quidem Pontificibus Ro-„manis, ZOZIMO, BONIFACIO, et CAELESTINO

„co-

* *Concilium Africanum VI. c.* 3.

** *Concilium Florentinum, uti ſupra.*

„copia facta est, maxime cum laborantibus in af-
„ferenda apud Patres Africanos fide sua; ut ve-
„hementer mirum sit, qui *Fratri* JOANNI, homini
„mille annis post nato, id in mentem venerit;
„cum illi ipsi, qui illud penes se scilicet habe-
„bant, ne verbulum quidem de eo unquam fece-
„rint; quod argumento invicto est, exquisiti istius
„voluminis sigilla nunquam aperta, aut reserata
„alibi fuisse, nisi in fraterculi istius cerebro; in
„quo uno fabricatum, et reconditum, natum et
„mortuum simul esse apparet. Maxima quippe
„pars eorum, qui subsecuti sunt, frivolum istud
„commentum neglexere: neque eo quisquam in
„hisce controversiis nunc utitur. Sed si verum
„amamus, ne id quidem, quod ipsi excusandis
„istis Pontificibus comminiscuntur, hilo est *Fra-*
„*tris* JOANNIS mendacio probabilius. Isti scili-
„cet causantur, suos illos Pontifices NICAENAM,
„et SARDICENSEM *Synodos* (in qua postrema ha-
„bentur Canones ab iis citati) pro una eadem-
„que habuisse. Cui enim fidem facient pro uno
„et eodem Concilio censendos duos cœtus eccle-
„siasticos, totis viginti duobus annis inter se dis-
„sitos: a diversis Imperatoribus convocatos ob
„causas admodum diversas? Illum quidem ad il-
„lustrationem fidei, hunc vero ad restituendos
„duos Episcopos; adhæc in locis remotissimis,
„alterum Nicææ, Sardicæ alterum habitos; quo-
„rum denique Canones plurimum inter se discre-
„pant argumento, numero, auctoritate; cum Ni-

„cænos quidem ſemper ab omni Eccleſia receptos, „Sardicenſes vero in Oriente ne notos quidem „fuiſſe conſtet ? Id confirmare, qui queant, qui „tam acriter invehuntur in Græcos, quod hi mul„to majori cum rationis ſpecie *VI. Synodo* tribuant „202 *Canones Conſtantinopoli* decennio poſt in cœ„tu, cui plerique ſextæ Synodi Patres intererant, „conditos ? Quî in vetere Eccleſia receptum iſtud „fuit, cum in antiquorum iſtorum Canonum col„lectione Græca SARDICENSES plane omiſſi ſint: „et in illa Latina, quam DIONYSIUS EXIGUUS „abhinc mille et centum annis contexuit Romæ, „non cum Nicænis, aut proxime poſt illos, qua„ſi unum corpus cum iſtis conſtituentes, ſed lon„ge infra illos, et poſt omnium, quæ hactenus „habita fuerant, Conciliorum Canones rejecti „ſint? * Unde quoque accidit, ut ſi ea fuit „veterum iſtorum Pontificum ſententia, dum eos „allegant, prorſus de ea taceant? Negabant con„ſtanter Africani Epiſcopi, iſtos ſibi a Romanis „objectos Canones in ſuis Codicibus haberi. Cur „ad hæc non reſpondebant Romani, eos extare „in illa altera, quam recentiores nunc memorant, „Canonum Nicænorum parte, inter eos, qui Sar„dicæ conditi ſunt? Nonne id in promptu erat, „ſi Nicænam, et Sardicenſem Synodos pro una, „eademque habuere? Maxime cum bonos iſtos „Africanæ Synodi Patres, ut ſe ex his ambagi„bus expedirent, de mittendo Conſtantinopolim,

„et

* DIONYSIUS EXIGUUS *Codice Canon, Eccleſ. univerſ.* p. 99.

„et Alexandriam senserunt deliberare? Et tamen „de ea re nec γρῦ quidem. Si Canones Sardi„censes pro Concilii Nicæni parte habiti sunt, „mirandum est, tot Africanos præsules, tam do„ctos, adeoque pios, AURELIUM, ALYPIUM, „sanctumque ipsum AUGUSTINUM, clarissimum „Africæ, totiusque Ecclesiæ jubar, id prorsus la„tuisse. Sed portentum plane est, eorum non „misertos tres Pontifices Romanos, eorumque Le„gatos, nec dignatos uno aut altero verbo, quod „perfacile fuit, eos ex tam crassa, tamque suis „rebus noxia ignorantia liberare. Stet ergo im„motum, ZOZIMUM, et BONIFACIUM Pontifices, „non alia habuisse Canonum Nicænorum exem„plaria, quam nostra: neque censuisse Sardicæ „decreta Concilii Nicæni partem facere; sed scien„ter, et prudenter Synodo Nicænæ Canones Sar„dicenses suppoſuisse. Illi nimirum ex quadam „vulgari sententia, et superioribus sæculis rece„pta, et ab horum temporum moribus minime „aliena, existimarunt ad bona et sancta promo„venda consilia fas interdum esse astu rem gere„re, et fraudes illas, quas *pias* dicunt, adhibe„re. Cum ergo apud se constituissent, Sedis suæ „supra omnes alias primatum magni esse momen„ti, et ad rem christianam plurimum conferre; „non est, quod miretur, si ad jura illius confir„manda, paululum de via deflexerunt, et Sardi„cam pro Nicæa subierunt, rati futurum, ut „si voti compotes fierent, rei ipsius utilitas, et

 „secu-

„secutura ex ea comoda facile sarcirent, quidquid „in re ipsa peccatum esset.

„Neque tum accepta ab Africanis repulsa obstitit, quo minus aliquot post annis LEO Papa „*ad Theodosium Imperatorem* scribens, eadem arte „ipsum adoriretur, et Sardicensem pro vero Canone Nicæno supponeret. Unde fit, ut VALENTINIANUS et GALLA PLACIDIA, *ad eundem* „*Theodosium* scribentes, extra dubium ponant veteres, et Nicænos Canones de fide et præsulibus „Ecclesiæ judicandi jus Pontifici Romano concessisse; authore scilicet Leone; a quo Sardicense „Decretum pro Canone Nicæno acceperant. Atque ita porro perrectum est in fraude ista pia; „ut maximæ Christianorum parti persuasum sit, „Nicæni Concilii Decreto Romanum Primatum „fuisse constitutum; ita ut in hac controversia „maxima illius Synodi auctoritas pro hac sententia passim obtrudatur. Ignosce, benigne lector, „quod tam, et forsan ultra quam proposito meo „conveniebat, te remoratus sim in hoc argumento; id enim magni omnino momenti esse, visum est in hac controversia. Quid enim (inquient Protestantes) expectandum nobis est a reliquis Episcopis, et Doctoribus; quandoquidem „Papæ duo, quos omnium Christianorum Pontifices, et Coryphæos volunt, falsa supposuerunt? „Et quidem in ipsis quinti sæculi initiis, quibus „fides, et doctrinæ sinceritas plurimum viguisse „putantur? Qui iis temporibus talia ausi sunt,

„quid

„quid non fecerunt in sequentibus? Quibus scri-
„ptoribus pepercerunt, qui sacro Nicæni Concilii
„illustrissimi post verbum Dei in Christianismo
„monumenti nomine abuti non sunt veriti? Qui
„in adeo augusti cœtus luce, in ore doctissimo-
„rum sanctissimorumque totius Africæ Episcopo-
„rum, immo sub magni ipsius Augustini oculis,
„talia comminisci, et usurpare non dubitarunt,
„quid alias sibi non permiserunt? Quid non in-
„ceptum, et susceptum est in longis, densisque
„tenebris, quæ per tot secuta sæcula in totam
„terram incubuerunt? Mihi quidem certe nunc
„non est propositum, eos vel accusare propterea,
„vel excusare; hoc unum volo, non esse adeo
„proclive, quam prima fronte videatur, veras
„Patrum sententias ex iis scriptis intelligere, quæ
„sub eorum nomine hodie circumferuntur; quan-
„doquidem, qui tanto tempore ante nos ea apud
„se habuerunt, sic se in iis gesserunt.“ *Libro I. de usu Patrum cap.* 3.

Nihil prætermitum est ex verbis Dallæi.

De industria verba integra Dallæi recitavimus; et quidem ex ea interpretatione, quæ autographi fidem habet. Sic enim faciendum est germano Critico, ut nihil omissum, nihil prætermitum, nihil præter causam dictum opponi possit ab his, qui vident suas obtrectationes ad trutinam revocari. Nunc etiam ex Canonibus Concilii Sardicensis saltem ea adscribam, de quibus quæritur hoc loco.

§. II.

Recitantur verba *Canonum* SARDICENSIUM, qui ſpectant appellationes ad ſummam Sedem.

Quia conſtat ex *Præfatione* DIONYSII *Exigui*, hos Canones primum Latine ſcriptos, Græca verſione ſolum utemur, cum Latina involvuntur, et obſcura evadunt. * Dicitur

CANONE III.

Connexi inter ſe ſunt omnes, et

Quod ſi aliquis Epiſcoporum judicatus fuerit in aliqua cauſa, et putat ſe cauſam bonam habere, ut *etiam rurſus judicium* renovetur, ſi vobis placet, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his, qui cauſam *judicarunt*, Julio Romano Epiſcopo: *Et per propinquos provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, judicium renovetur, et cognitores ipſe præbeat. Si autem probare non poteſt, cauſam ejus eſſe talem, ut eam rurſus judicari opus ſit; quæ ſemel ſunt judicata, non infirmentur, ſed rata ſit lata ſententia.*

CANONE IV.

Si quis Epiſcopus depoſitus fuerit judicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinia, et dicat, rurſus ſibi defenſionis negotium competere, non prius in cathedram alius ſubſtituatur, quam Romanus Epiſcopus cauſa cognita ſententiam tulerit.

CANO-

* Quid ex Græco reddatur, oſtendunt voces, ac verſiculi litteris diverſis expreſſi, *ſecundum editionem Herveti*, qui Latinam ſententiam eandem quidem, verum explicatam, perſpicuamque hinc redhibet.

CANONE V. *

Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, et congregati Episcopi *ejusdem regionis eum gradu moverint: et veluti appellans* confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur judicium, vel discussionis examen; scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, et propinqua provincia sunt; ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat, suam causam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, et quid æstimet: et si decreverit, mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit, Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit. *eodem tendunt*

§. III.

Notantur quædam ex Historia, quæ hos Canones illustrent.

Nota I. *Synodus* SARDICENSIS coacta est in gratiam *S. Athanasii*, et aliorum, quos calumniis oppressos gradu moverant Arianarum partium Episcopi. *facta, qua nemo in dubium vocare possit.*

* Apud Græcos; nam apud *Dionysium* est *septimus*: ego quia hic Canon præcedentium appendix est, malui ordinem illorum sequi.

Nota 2. Concilium conſtabat ex Patribus magnam partem Occidentalibus; quo cauſa *Athanaſii* (quæ et fidei cauſa fuit) in Occidentem pertraheretur. Plerique enim ad Orientem, penes quos erat ſumma rerum, ac maxime Imperator, iniquiſſimos ſe illi præbebant, curis, et cogitationibus omnium in viri perniciem converſis.

Nota 3. Occidentalium dux erat OSIUS, Epiſcopus Cordubenſis, qui *Synodo Nicænæ* jam præſederat. Hic quæſivit a Patribus, *an placeret Petri Apoſtoli memoriam honorare?* Placuit; et munus judicandi detulerunt ad ſucceſſorem Apoſtolorum principis, tanquam communem patrem, centrumque unitatis chriſtianæ. Quidquid ergo cornicentur de appellatione *propria*, ac *minus propria* (non enim eſt hujus loci) ſtatutum eſt, debere recurri ad Romanum Epiſcopum, velut præcipuum, ac ſuperiorem.

Nota 4. Ipſa adeo Eccleſia Græca, ſaltem in *Concilio* QUINI-SEXTO, quod *in Trullo* vocant, SARDICENSES *Canones* ſolenniter recepit.

Nota 5. His canonibus Romanæ Sedi nil novum tribuit SARDICENSE *Concilium*; quia nemo neſcit, jam ante iſtud eo appellatum eſſe; *proprie*, an *ſolo recurſu*, nil diſputo; quia, ut dixi, ad rem noſtram minime hoc pertinet; neque debeo, dum me volo ex una controverſia expedire, alia nova implicari. Rei teſtes habeo

S. Cyprianum, cui in negotio appellationum plus ceteris tribuunt, et Proteſtantes, et Febronia-

niani, *Epistola* 63. *ad Stephanum*, summum Pontificem; ubi scribit: *Dirigantur in provinciam, et ad plebem Arelatæ consistentem, quibus absento* MARCIANO *alius in locum ejus substituatur.*

Eusebium Cæsariensem, qui *Libro VII. Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 30. narrat, Patres *Synodi adversus* PAULUM SAMOSATENUM celebratæ, voluisse, ut Acta sua a Papa Dionysio rata haberentur. Movendum autem statuerant Paulum.

S. Augustinum, qui *Epistola* 162. de CAECILIANO, Carthaginensi Episcopo, plane sic loquitur, ut videas, eum a S. Melchiade Papa jure restitutum Sedi suæ, a qua fuit dejectus in Synodo Africana.

Nota 5. Multo plura exempla habemus *post Concilium* SARDICENSE; ut

EUSTATHII SEBASTENI,
HELLADII TARSENSIS,
EUTHERII TYANENSIS,
S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

Ac deinceps a *Synodo Africana*, quam dixi, *sive Carthaginensi VI. anni* 419; ut

EUTYCHETIS, FLAVIANI, THEODORETI.

De quibus omnibus, ne sim longior, *toto Tomo VIII*, diligenter docuit *Christianus Lupus*. Certe ipsi Afri *Novella Constitutione anno* 445. adacti sunt ad observandos Canones Sardicensium, et summi pastoris auctoritatem in judiciis Episcoporum agnoscendam. *

* Vide *Petrum de Marca cap.* 15. *num.* 5.

§. IV.

Reſpondetur ad difficultates a Dallæo motas.

Canones Sardicenſes potuerunt citra fallaciam pro Nicænis obtrudi.

Dallaeus in anteceſſum ſtatuit, ponitque extra dubium, *Canones* Sardicenses non potuiſſe niſi dolo ac fraudibus pro Nicaenis venditari. In quo fallitur vehementer; nam idipſum eſt, de quo quærimus maxime: et quod probandum illi incumbit non quomodocunque, verum gravibus momentis ſecundum accuſationis magnitudinem; in qua agitur exiſtimatio publica de negotiis, ac juribus Romanæ Eccleſiæ ab antiquis temporibus. Vult enim lex æquitatis, ut nemo accuſetur apertæ fraudis ſine cauſa pariter aperta: et qui hoc ſuſcipit, ſibi ipſe imponit neceſſitatem, non ex ſuſpicione, conjecturis, diffidentia, odio, verum ad rationem, ſeveritatemque legum rem evincendi. Ergo ut verbo priore rurſum utamur, accuſatori incumbit onus totum probationis tam ex Dialecticæ, quam juris ipſius præſcripto; præſertim, ſi quis ante poſſedit, quod voluiſſet fraudibus aquirere: et accuſatio petit viros dignitatis magnæ, inculpatæ vitæ, notæ ſanctitatis. Atquin hæc duo nunc maxime locum habent in negotio Sardicensi. Nam Canones Synodi nil novum Romano Antiſtiti tribuerunt, ut *Nota* 5. diligenter oſtendimus: et Zosimus, Bonifacius, Coelestinus I Pontifices, ab Eccleſia habentur, habitique ſunt ſemper homines ſancti. Nusquam certe reperias ſcriptos, niſi hoc

Imo ex lege æquitatis

titulo

titulo præfixo. Quare omnibus, qui ſtudia partium tantiſper ponere velint, ſufficit quævis idonea cauſa, cur ſine fraude potuiſſet id fieri, ut illico accuſati abſolvantur. Quid enim, ubi cum omnibus aliis, etiam miſerioris conditionis, lege agitur, hic non eſt jure experiundum? Hoc præmiſſo dabo quædam, minime repellenda; ex quibus præjudicetur, hanc Canonum ſuppoſitionem absque malitia vel circumſcriptione contigiſſe.

ſola veri ſpecies accuſatos abſolvit a crimine impacto.

Ratio I. Patet *ex Actione XVI. Concilii Chalcedonenſis* (ubi LUCENTIUS, Apoſtolicus Vicarius, *Canonem tertium Conſtantinopolitanum*, qui legebatur, negavit in *Synodicis Conſtitutionibus* haberi) fuiſſe olim apud Romanam Eccleſiam *codicem Canonum veterum.* Quod video quibusdam doctiſſimis Proteſtantium minime diſplicuiſſe. Et firmatur vehementer a DIONYSIO *Exiguo;* qui edens ſuam collectionem ſub finem ejusdem ſæculi, id ait ſuſcipere ſe, ut Eccleſia haberet codicem magis perfectum. Hoc in codice fuerunt *Canones* SARDICENSES; de quo quis dubitet, ut ſit maxime moroſus, ac difficilis? et quidem fuerunt proxime NICAENIS ſubjecti. Nam etſi fuerunt duo diverſa Concilia, quo ſibi tantopere DALLAEUS placet, tamen erat juſtiſſima cauſa hos jungendi; SARDICENSE enim, præſide eodem OSIO coactum unice, ut ſtatuta Nicæna munirentur; quæ et pro norma fuerunt illi in omnibus; ut velut *Appendix*, *ac complementum* eſſet Synodi generalis. Sane pro tali habitum reperio apud eos omnes,

Si nempe Nicænis in codice Canonum Romano proxime ſubjecti fuerunt.

Quod potuit fieri ex æquo ac bono.

omnes, qui de Conciliis curatius scripserunt. Quid autem mirum, si Canones, Romanis suffragantes, fuerunt in amore: titulusque favorabilis, cui suberat idonea causa, est latius extensus? Est et nova ratio sic judicandi, quia INNOCENTIUS I. jam ante *Concilium Africanum* in *variis Epistolis* ad eos provocavit, velut Nicæam spectantes; quod quod quidem DALLAEUS, si nolebat ex insidiis agere, dissimulare non debuit. Cum ergo nil furtive, nil clanculum hic sit actum: neque nova jam possit dici venditatio Nicæni nominis, acerbius, quam par est, vocatur in crimen fallaciæ. Nam istis, quæ fiunt fallaciter, et studio circumveniendi, artificia subsunt, machinæque occultæ, quas ille, cujus interest, non proferat palam; sed nec alter deprehendat primo aspectu.

Indicium aliud insperatum ex codice vetusto.

Ratio 2. Quæ in dictorum confirmationem sane mira accedit; *Codex asceterii* DIESSENSIS apud Bojos habet eosdem Canones, sed tantisper variantes, hac inexpectata inscriptione.

N. II. Incipit Concilium Nicæum XX. Episcoporum, qui in Græco non habetur, sed in Latino esse inveniuntur tantummodo.

Ex quo titulo, nemini non novo, ac, si quid video ego, conjecturis multis obnoxio, oritur apud Criticum suspicio latentis nescio cujus causæ, ob quam nomen NICAENORUM illi Canones retulerunt. Neque juvat codicis auctoritatem hinc elevare,

elevare, quod sequiorum temporum sit ille habendus. Gerit enim notas *sæculi octavi vel noni.* Qui vero vel elementa norunt artis Criticæ, codices hujus ætatis non adnumerant manuscriptis sequiorum temporum, sed valde vetustis; quia *septimi* et *sexti* sunt optimæ notæ; *quinti* tantæ raritatis, et pretii, ut inter thesauros præcipuarum Bibliothecarum numerentur. Apage ergo cum futili dicterio! cum codex *sæculi octavi vel noni* ex longe antiquiori sit exceptus. Nec enim describebantur (præsertim, qui erant minoris usus) nisi litteræ in membranis prioribus vanescerent, vel charta ob vetustatem a tineis roderetur.

Idonea caussa, cur Pontifices argumento nullo pugnarent pro Canonum conjunctione.

Ratio 3. Dallæus plurimum tribuit suæ caussæ, quod Romani Pontifices non ederent, cur *Canones* SARDICENSES Nicænis annumerassent. Hoc illi evidens est indicium sublestæ fidei, consiliique ad fallendum comparati. Sed mihi pronum est credere, ejus rei fuisse aliam rationem, haud paulo honestiorem. Vir clarissimus, DIONYSIUS PETAVIUS *in Rationario temporum Partis primæ Libro VI. cap.* 4. paucissimis ut solet multa complexus de Synodo Sardicensi ista commemorat: *Ejecto Athanasio substitutus est Georgius Cappadox; qui ingenti patrata cæde, sedem illam occupavit; clam dilapso Athanasio, ac Romam profecto; quo et Paulus Constantinopolitanus, et alii Catholici Episcopi ab Arianis expulsi, tanquam ad asylum sese receperunt. Horum in caussa Constantis, et Constantii jussu Sardicæ generalis est habita Synodus anno* 347. *A qua, Arianis se subdu-*

ſubducentibus, reſtitutus eſt Athanaſius, ac ceteri Epiſcopi: et damnatis hæreticis Nicæna fides iterum approbata. Eodem tempore Ariani Philippis in Thracia conventiculum celebrant; quod et Sardicenſis vocabulo nuncuparunt; in quo CONSUBSTANTIALIS *vocem audiri ultra vetuerunt: idque Decretum ad Afros miſerunt.* Quid in tota narratione non ſimplex, petitumque ex media Hiſtoria? Et vero teſtes vocat, exceptione majores; *Socratem Libro II. cap.* 20. *Sozomenum Libro III. cap.* 10. Pro Decreto autem in Africam miſſo *Fragmentum Hilarii.* Igitur mihi rem ponderanti hic nihil negotii; adducor enim, ut credam, Catholicorum multos, ac maxime Romanos ob nomen SARDICENSE, e coetu Philippenſi retentum, tribuiſſe Sardicenſi *vero* Concilio nomen NICAENO-SARDICENSIS, ſive *Nicænici*, id eſt, ſentientis cum Nicæno, hærentisque illi; dum Conciliabulum appellationis ejusdem docebat adverſum, et teſſeram Catholicam audiri vetabat tam impotenter, ac ſi ſolo nomine arrogato utrique tam Nicæno quam Sardicenſi reclamatum una, ac derogatum foret.

Forte et ideo rationem Afris non dederunt, quod ſeptuaginta poſt annis, urbe paulo ante bis populata, hæc ipſis non erat in promptu. Quanta vaſtitas per eam calamitatem Bibliothecis illata ſit, Gothis omnia diripientibus, docet Hiſtoria litteraria; et quis poſtulet a nobis, ut demus barbaros, cum bibliothecas vaſtarent, tabulariis pepercifſe?

Quod

Quod si contendas (contendas inquam; quia faceres sine assumpto argumento, in modum negantis) Romanos scivisse originem mistarum Synodorum; quod vero officeret rationibus suis, dissimulasse; sit tantisper, habuisse ejus scientiam aliquam; ne sic quidem efficies consilium fraudulentum, quod cadat in summum ipsum Antistitem. Age enim historiam Africani concilii excutiamus. URBANUS, Siccensis, S. Augustini discipulus, Presbyterum suum *Apiarium*, sceleris non unius convictum, exauctoraverat sententia *Synodali*. Hic vero ad Romanum Pontificem ZOSIMUM recurrit, munitaque sibi via per homines idoneos ab hoc benigne acceptus, inque sacrorum communionem restitutus est. Quo cum essent Afri vehementer commoti, necesse habuit ZOSIMUS legare in Africam *Faustinum* Episcopum, ut inter cetera negotia defenderet rationem agendi, quam cum *Apiario* tenuisset. Afri videntes a summa Sede hunc defendi, qui Ecclesiis offendiculo magno fuisset, ad vitandos sermones, litemque præcidendam negotium componi sic voluerunt, ut *Apiarius* petita venia hanc a Synodo impetraret; verum extra Siccensem Ecclesiam suo munere fungeretur. ZOSIMO mortuo *Apiarius* novis criminibus sibi negotium facessivit; eousque progressus, ut Patres de integro damnandum haberent. Sed semel perfugium Romæ nactus, ad COELESTINUM I. navigavit. A quo ob gratiam, ac præjudicium ejus, cui successerat, receptus, obtinuit litteras, tam ad

Etsi nossent distinctionem Canonum, nondum bine fallacia infertur.

Patres,

Patres, quam *Faustinum*, in Africa vice altera agentem. Hic coactis in Synodum non fine injuriis exprobrat, quod Romanam sententiam flocci facerent, et quem duo Pontifices recepissent, tertio judicarent. Verum Afri fiducia causæ examen prosequuntur, et agitato per triduum operosissimo judicio, cum *Apiarius* astu, Faustinus *potestate* uteretur, denique volente Deo reus omnia fatetur, quæ patraverat. Quo datus in ruborem *Faustinus*, ac *typhi sæcularis*, ut tum dicebant, convictus est. Nempe eum se præbuit in utraque legatione, ut illi ad COELESTINUM litteris datis aperte profiterentur, se certos esse, quod deinceps Africa eum minime latura esset. Dum ergo Legatus superbe multa facit, etiam in hoc potuit peccare, ut vellet allatis *Canonibus* fidem haberi: eosque tam parum, ac causam clientis examinari. In quo licet mandati limites fuisset transgressus, vel ideo reprehensum non legimus, quod re male gesta aliunde odium, ac dedecus sibi conflaverat. Ergo invidia utriusque facti non utique in principem, sed impotentem ministrum recidit.

Typhus Pontificii Legati.

Quæ ego ex natura negotii sumo; non quod certa habeam, sed quod illis resisti nequit ob speciem veri, quam solam ab accusatis judicii requirunt. Quodcunque eligat DALLAEUS, suo damno faciet, ac secundum Pontifices judicabitur. Quamquam ut dixi, haud opus huc confugere; quia quin causam adversario tradam, permittere licet,

licet, Romanos ipsos fugisse, cur *Nicæna* appellatio ad statuta SARDICENSIA extenderetur.

Hoc autem assumpto non est, cur miremur ignorationem Afrorum. Scio quosdam in hoc caput ponere difficultatis; quia vident, adversarium, sive missis, sive compositis ceteris fore semper dicturum: *Nisi dolo esset actum, ac aliqua fraus intervenisset, Africani necessario debuerant Decretorum quamdam notitiam habere; cum tamen nec hilum de re tota illi nossent.* Qui minime expendunt, remotiores Afros non potuisse inter tot turbas videre, quæ nec Romani comperta habebant. Quamquam nec par conditio et in alio fuit. Cum enim *Pseudo-Sardicenses*, ut supra relatum est, Decretum de abrogando CONSUBSTANTIALI ad hos misissent, necesse fuit consequi, ut fieret odiosum in eo angulo, quidquid SARDICENSE nomen præferret; certe suspectum. Quare vel ob famæ ambiguitatem de illis Canonibus post decursum annorum famâ nil accepisse, haud fuerit a ratione alienum.

Jam non mirum, Afros nil scivisse de Sardicensibus statutis.

Quam facile potuerit evenire, ut Africani de his Canonibus nihil scirent.

Erunt, nil dubito, qui me dicent in refellendo partes causidici suscepisse: ac legibus agere, non via et ratione, qua solent Critici, monumenta et testimonia inter se, comparantes. Facinora multa vera esse, quæ facta probari minime liceret. Nempe difficilia sic fieri, non falsa. Qui sic sentiunt, faciunt mihi injuriam palmarem. *Primo* enim alibi ostendi, quam sim alienus a technis rabularum in Historiam inducendis. Ne mihi objicias illud solenne: *Si fecisti, nega!* et quæ sunt

ejus generis alia effugia. Potius illud aſſumo: *Aliter judicant Philoſophi, aliter leges.* Ideo in hac tota cauſa conjeci nihil, quod non factis firmarem, ab illa ipſa ætate petitis. Quod qui præſtat, recte fungitur partibus Critici. Nam, etſi ars Critica ſingulare habet forum, tamen ubique veretur æquitatem; ut quæ debet in omni ſententia, judicioque obtinere. Antiquior eſt omnibus artibus: debentque hæ ad illam, non illa ad has ſe componere. Tum non valent poſtulata generalia Leguleiorum, cum nituntur ſola ſuſpicione: cum ducunt ad meram conjecturam; cum ſunt tota in incertis veſtigiis perſequendis: cum in re geſta nihil fidei, ignorantiæ, caſui permittentes hærent diffidentiæ ſuæ, et a paucis ad omnes concludunt.

Quod hic maxime DALLÆUS facit. Quid enim ejus accuſatio de fraude, niſi ſuſpicio, et diffidentia eſt, qua, ſuetus omnia Pontificum, etiam priſcorum, in partem deteriorem trahere, ſtatim pro comperto aſſumit, quod deberet teſtimoniis evinci? Certe ſi expendas ad lucem, ejus tota actio in Sedem Romanam ſuperſtructa eſt illi poſtulato cauſidicorum, quando ſumunt perſonam accuſantis: *Ejus eſt ſcelus, cui prodeſt.* In hoc cardo vertitur argumenti: primatum ſupra ceteros antiſtites magni momenti eſſe; inde arripuiſſe omnem anſam ad id juris ſtabiliendum, ob rei utilitatem, atque commoda proventura. Fuiſſe illis ſanctum, quidquid utile: cumque dominatum omnium re-

rum

rum ſpectarent, ad promovenda conſilia neceſſe habuiſſe rem aſtu gerere, fraudesque, quas pias tum dicant, in loco adhibere Sed lege ipſummet; nam ideo ejus verba præmiſimus, ut poſſent cum noſtris ubique conferri. Jocis, quibus DALLÆUS *Fratrem* JOANAEM, mordicus arreptum, ſus, deque jactat, ego minime intercedam. Sæculis his, quibus jacebant litteræ, et legibus Criticis pretium nullum ponebatur, in *Seſſionibus* ipſis *Conciliorum*, dum inter ſe commiſſi Theologi conſerunt manus, per loquacitatem, et ſtudium clareſcendi varia jactata, quæ noſtrum nemo aliquo numero habet. Nec enim ad rem illa pertinent. *Magiſtri* et *Fratres*, qui ſe præviis concertationibus miſcent tempore Synodorum, tam parum poſſunt ſibi temperare, quam Leguleji, patronive cauſarum in curiam intromiſſi. Quid quod neque Epiſcopi omnes, omnesque Senatores, cum eò veniunt, ubi debent partes audire, ponunt affectus in veſtibulo, ſed ſumunt ſecum, produntque iniquiſſimo loco? Concilia in *Decretis* non habent talium ullam rationem; cum enim Eccleſiam referant, et Spiritu divino regantur, expenſis omnibus atque collatis aurum a ſcoria ſeparant, dimiſſisque humanis, ac dubiis certo veritatem amplectuntur.

Itaque in ventos ſubſidunt, quæ apparatu tanto argutiarum, et accuſatione verboſa jactat DALLÆUS ſuper dolo eorum Pontificum, de quibus præter priſcam fidem, ſpectatamque probitatem nil legitur in omnibus Eccleſiæ monumentis. De-

cipi hos potuiſſe facile largior in cauſa illorum Canonum; verum decipere voluiſſe non concedam ex tam frivolis rationibus. Eſt cur doleam vicem, non illorum, ſed hoſtium implacabilium, qui ſtudio factionis, et diffidentia cauſæ ſuæ imminent omni occaſioni, qua ventilent ſacros cineres: poſitaque modeſtia ſummos paſtores, canis ipſis venerabiles, habent in morem ſcurrarum, tractantque ut veteratores manifeſtos; præſtigiarum poſtulantes, quoties vim, et apertam injuriam exprobrare non poſſunt. Sed certent ſane maledictis, quando ab argumentis deſeruntur. Nos illis tam parum movemur, ac ſe iſtis moveri ipſi patiuntur.

§. V.

ADDITAMENTUM

de ſimili, imo graviore accuſatione Dallæi.

Nova calumnia ejusdem generis cum ſuperiore in Leonem magnum.

Capite IV. Libri I. de uſu Patrum in factum ejusdem argumenti paratragœdiatur. Ait enim incredibili temeritate: *Crevit licentia iſta, prout ſæcula in pejus ruebant: et dum ab auctorum ipſorum ætate recedebatur, fallacias iſtas revincere difficilius in dies evadebat; maxime cum clariſſima Eccleſiæ lumina ab his artibus aliquando non abſtinerent, et ſuo exemplo ſingulis ad ejusmodi audenda animum adderent. Nam amabo te! nonne ſtupendum eſt, Leonis Papæ legatos jam anno 451. coram toto Concilio Chalcedonenſi apud ſexcentos ſelectiſſimos Epiſcopos, totius Eccleſiæ florem, VI. Canonem Concilii Nicæni recitaſſe cum hiſce, in quibus*

quibus summa vertitur, verbis: Ecclesiam Romanam semper primatum habuisse; *quæ non magis quam Afris a Zosimo obtrusi Canones in ullo codicum Græcorum inventa sunt: ut neque hodie habentur vel in Codicibus Græcis, vel in Latinis, vel in editione Dionysii Exigui, qui annis quinquaginta post vixit. Cum mecum reputo, tam sancti Pontificis Legatos ejusmodi lacinia tam venerabilem Canonem fœdare non dubitasse, pene in eam adducor sententiam, ut ex antiquitate nihil sani, nihil incorrupti superesse existimem, præter ea, quæ nullius fuere momenti: vel quæ sine summa infamia, et omnibus reclamantibus contaminari, et alterari non potuere.* * *Nec sine certissima Dei providentia accidisse reor, ut facti istius memoria ad nos usque permanaret: et doceremur, quam caute, quam prudenter in his versandum sit: quamque non temere, tanquam Nicænum, aut Constantinopolitanum, vel tanquam Cypriani, aut Hieronymi accipiendum sit, quidquid nobis hodie istis nominibus obtruditur.*

Nempe istuc dicemus; ad invidiam, quæ sit in facto, nimium; ad errorem minus afferri a DALLAEO. Non solum fatemur, PASCHASINUM, Legatum Romanum, protulisse exemplar, ubi lemma Canoni præfixum, *Romanam Ecclesiam semper primatum habuisse*, in Canonem ipsum, velut ejus pars, immissa erat, sed etiam Canonem ne quidem percepisse. Verbo absolvam, Legatus non *Depellitur.*

* Hæc verba probe notari debent. Non enim sunt hominis sani: et si quid video ego, non catholicam, ut vult DALLÆUS, verum omnem Historicam fidem, ac adeo Religionem tollunt, illi superstructam.

non perperam tantum, ſed etiam inepte citavit; quia hic de ſolis *Metropolitis*, ac præcipue *privilegiatis* agit. Nulla de Primatu, vel Patriarchatu Romano mentio; ut ejus verba reſpectu hoc perinde ſe habeant: et nec incommodent illi juri, ut Proteſtantes; neque commodent, ut quidam Catholici contenderunt. Pertinent omnia ad *Eccleſias ſuburbicarias*, ſive in Provinciis Romæ adjacentibus ſub ditione Vicarii urbis ſitas; in quas ubique compertum eſt, Epiſcopum Romanum jam ante *Nicænam Synodum* exercuiſſe jus idem Metropolitæ, quod Alexandrinus in Ægypto, cogendi Synodos, nec ferendi Epiſcopum citra ſuam facultatem ordinatum.

Quid autem ex Legati allegatione nunc extundes? Quod vult DALLAEUS, ab anno quadringenteſimo decimo octavo, ubi *Canones* SARDICENSES pro *Nicænis* obtruſi ſunt ad annum ejusdem ſæculi quinquageſimum primum, proin triginta tribus annis tam *ſtupendum* in modum auctam Romanorum Pontificum fallaciam, ut *clariſſimum Eccleſiæ lumen*, *tam ſanctus Pontifex* LEO, *Nicænum* ipſum *Concilium* corruperit in codice ſuo: ac ideo ex antiquitate nihil ſuperſit ſinceri? Ohe! quo rapi te ſinis Romanarum rerum odio! Non ſunt hæ voces cordati hominis; potius ſibilum ſerpentis mihi videor audire; nam ejus et cetera habes; *cernere acutum*, *ſerpere molliter*, *latere ſub floribus*, *ac virus ſpargere*; quod dictum de quodam fuit ex gente, ac ſchola eadem prognato. Aliter ger-

mana

mana Critice, aliter Dialectica, partium ſtudio non abrepta; et

I. quidem PASCHASINUM, qui nec mandata acceperat ſuper rem improviſam, provocaſſe ad id, quod niſi ſincerum putaſſet, certo certius fuit omiſſurus; quia ſpes non erat tegendæ fraudis in tanto conſeſſu.

II. Inter exempla Romæ deſcripta fuiſſe unum, ubi *Gloſſema*, vel titulus margini adſcriptus, in locum Canonis ſucceſſit: atque hoc a legato Chalcedonem allatum.

III. LEONEM Pontificem tantum abeſſe, ut hunc codicem corruperit, ut forte ne viderit quidem, veroſimilius ſcriptum ante, quam illi ſummum ſacerdotium deferretur.

Atque hæc quidem cuivis in promptu ſunt, qui nec dogmatum, nec jurium ſacrorum ſit valde ſciens; ſed reſtant alia, quibus DALLAEI malæ artes magis protrahantur in lucem. Fingit hic loci, actum Chalcedone de hoc, quod hodie ſenſu Theologorum *Primatum* vocamus. Quod eſt plane a vero alieniſſimum. De hoc neque ſermo, nec controverſia fuit. Minime gentium. Sed illud volebant, qui ſunt ad Orientem, ut deinceps Antiſtiti Conſtantinopolis, ut urbis regiæ, novæque Romæ, eminentia honoris proximo poſt Romanum loco daretur. Quæ dignitas in eo fuit, ut qui eſſet iſti Sedi admotus, inter Græci imperii paſtores primum locum obtineret. Ex ipſis Proteſtantibus doctiſſimi homines agnoſcunt,

ſcunt, hoc jure præcedendi nec auctoritatis, nec jurisdictionis quid tributum Conſtantinopolitano: atque Græci, cum hoc vocant *eandem prærogativam*, qua gauderet Romanus, *ſimilem* volunt, non *eandem*; quia, ut ſupra dictum, loco proximo hunc ſtatuebant. Quare Legati aberratio non eſt tanti, ut ideo clamores DALLAEUS tolleret, ac velut divina humanaque omnia permiſta lamentaretur. Accuſans et accuſatus Primatum ſecus accepit. Is oppugnando, hic defendendo; is malitia, hic ignoratione. Jam ſtatue, cujus gravior ſit peccatus. Ego dudum ſtatui.

Primatus Romani ſunt aliæ rationes, et in tuto poſitæ: neque ejus duntaxat, quem honoris, vel auctoritatis dicunt: quemque nemo Catholicorum unquam negavit; ſed etiam Jurisdictionis, ſive poteſtatis in Eccleſiam univerſam, quam ut paſtor docere, præire, caſtigare, regere debet. *Primum* vindicant verba Servatoris, qui *Matthæi cap. XVI. a verſ.* 18. PETRO dixit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: et tibi dabo claves regni cælorum: et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in cælis: et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum et in cælis.* Quæ verba, ubi nil continent præter promiſſa, nomine Eccleſiæ PETRO facta, ut inde privilegium ſingulare in hujus perſonam non redundet, tam aperte detorquentur, ut apertius nulla poſſent in ſententia quavis Evangelica. Dominus

minus PETRUM est allocutus: neque potuit suam mentem magis exprimere, quam hac significatione: *Et ego dico tibi*: *tibi dabo.* Nam de Ecclesia ante locutus: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, continuo debebat addere: *Et illi dabo claves regni cœlorum*, si has eidem voluisset committere. At vero non *illi* dixit, sed *tibi dabo.* Itaque si tam dilucida verba in re summi momenti fas est pro libitu accipere, certe nil manet in volumine toto divinarum litterarum. Sane hanc Christi mentem Ecclesia semper agnovit et, CONCILIA OECUMENICA *IV. V. VI. VII. VIII.* et deinceps alia successorem PETRI asseveratione magna Episcoporum primum statuerunt; ut esset in pari officio honoris discrimen: atque unus inter omnes collegas reliquos emineret.

Alterum, primatum Jurisdictionis, verba eadem *apud Matthæum* tribuunt. Ut CONCILIUM OECUMENICUM FLORENTINUM, quod Græcos cum Latinis in concordiam reduxit, tanquam dogma certissimum, semperque agnitum proponit *in Fidei Definitione.* Ait enim: *Definimus . . . . ipsi* (Romano Pontifici) *in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.* Equidem recte dicitur, Ecclesiæ ipsi (docentem intelligo, corpusque pastorum) esse relictas claves: PETRUMque tunc maxime gessisse personam ejus, cum

 has

has acciperet. Nam reliqui antiſtites in *parten ſolitudinis vocati* ſunt, *poſitique ad regendum Eccleſian Dei.* Verum, quod Petrus erat caput, neceſſe fuit illi tradere, quod omnium eſſet; ut poteſta penes ipſum reſidens pareret unitatem, corpusque totum caritate et fide jungeretur, ſi nullus poſſet contra communem cathedram ſingularem alteram collocare. Quidquid habent Epiſcopi, habent eadem communione, qua ſingula membra cujusque corporis hujus omnia participant; modo ut capiti unita ſint, atque ſubjecta. Exigit hoc forma perfecti regiminis; ut haberet quilibet dignitatem, et poteſtatem; ſed nempe gradui convenientem. Multitudo ipſa induceret confuſionem, et ad diſſidia fovenda tanto plus virium haberet. Unde eſt quidam paſtorum paſtor, gerens præcipuam omnium curam, qui chriſtiana profeſſione cenſentur, nectensque Eccleſiam, tam *in gregem*, quam *ovile unum* collectam; videlicet Romanus antiſtes. Etſi enim alii ſemper aliique homines, tamen eadem Eccleſia: et cum Eccleſia fides, caritas, regimen; ut ſuſcepta gubernacula Petrus non reliquerit; ſed in ſuis ſucceſſoribus hodieque vivat, ejusque dignitas, vel indigno in hærede, deficere nunquam poſſit.

§. VI.

Clauſula Exercitationis.

Reditus ad cauſam prioren.

Redeo ad *Canones* SARDICENSES, a quibus tantiſper digreſſus ſum. Si quis de illis nomine NI-

CAE-

CAENO venditati, fors plura desideret, adeat auctores, qui FEBRONIUM depexuerunt, suntque complures. Sed maxime ZACCARIAM *in Editione nova Antifebronii Tomo III. a pag.* 483. Ego nihil ex quoquam decerpsi, tum ne longior essem, tum quod pro DALLAEO sufficere hæc viderentur.

Jocos ejus, ac cavillos de industria non attigi, ab illis æque paratus, siquidem ita, ut sibi persuadet, de rei summa transactum foret. Quam facile enim vereretur in risum, quod ait, *Latinos acriter invehi in Græcos, quod hi multo majori cum rationis specie sextæ Synodi tribuant* 202. *Canones, Constantinopoli decennio post in cœtu, cui plerique sextæ Synodi Patres intererant, conditos?* Præclare enimvero, ut nescias callidior audacia, an confidentior aut astutia sit ad miseros Papicolas ludendos! Sed non lusisti DALLÆE, non lusisti! Nam Græci in illa *Synodo* TRULLANA non solum *sextam*, ut dixti, sed etiam *quintam Synodum Oecumenicam*, annis centum quadraginta vetustiorem, prosequi, et cum sua connectere volebant, specioso obtentu, harum neutram attigisse res disciplinæ. Unde et nomen QUINI-SEXTÆ illi tribuerunt. *Par pari relatum.*

Quamquam sunt aliæ plures causæ, cur *Canones* TRULLANOS rejecerit Latina Ecclesia; quas debuit omnes DALLÆUS premere, ut plausu majore TRULLANI Patres cum SARDICENSIBUS committerentur. Nimirum sibi ipse dicit legem candoris, et innocentiæ, qui specie utilitatis communis aliorum fraudes recludit. Quod si contra

 facit,

facit, ſcripto eodem, quo voluit hos convincere, non ſolum accuſatos abſolvit, ſed etiam ſe condemnat. Diſertus eſt in convitium ſuum. Redundant in ipſum omnia maledicta, quæ miſit. Deludetur, qui deludebat: detractaque ſibi fide, ac excuſatione omni adempta, velut præco domeſticæ malitiæ traducetur. Nemo vel maxime moderatus temperabit a ſibilo, albisque dentibus oſtenſis, obvium ita ſalutabit: *Quanto melius tacuiſſes? Ito, jam reconde gladium, et obliga vulnus tuum! Nemo tam graviter te ſauciavit, quam tu.*

Atque ejusmodi forent plurima in *Libris duobus* DALLÆI; ego hæc elegi, magis implexa; ut haberent juniores, in quo exercerentur, dum ſacris Criticis volunt initiari. Quod conſilium, ſi ſæculo priore quidam cepiſſent, ejusque ſingula ſophiſmata ſeorſim ſolvere aggreſſi eſſent, non erat huc venturum, ut tam magni fieret, et ſcriptio captioſa a gregalibus in cœlum laudibus veheretur. Iidem, qui dicebant *concatenatio quaſi rationibus firmatum librum, atque conſtrictum* *, evidentia victi vel conticuiſſent omnino, vel faſſi eſſent, inſtituiſſe eum eosdem irretire dolo, et artibus circumvenire, quibus fallaciam objectabat.

* Sunt verba THOMÆ ITTIGII *Oratione inaugurali pro Joannis Dallæi tractatu de uſu Patrum.*

Erra-

Errata.			*Corrige.*
Pag.	*Lin.*		
10.	30.	hæc — —	hæc verba
13.	4.	enarrare — —	enarrari
24.	12.	Ecclefia — —	Ecclefiæ
—	26.	exacerbatus — —	etiam exacerbatus
25.	15.	caret — —	cavet
—	30.	nimirum — —	nimium
29.	2.	&c. — — —	CELLIERIUM, &c.
35.	28.	ducere — —	docere
43.	8.	ftudioquo — —	ftudioque
45.	7.	pro — — —	præ
—	11.	aftines — —	affines
53.	10.	dixit: S. — —	dixit S.
—	24.	quocumque — —	quoscunque
55.	11.	at — — —	et
65.	11.	IV. — — —	VI.
66.	3.	VII. — — —	VIII.
75.	30.	Hæc — — —	Hoc
81.	9.	Phoebatius — —	Phoebadius
84.	12.	familioris — —	familiaris
86.	1.	Leguntur — —	Legantur
88.	7.	Victoris — —	Victoris
90.	12.	Libri VII. — —	Libri XII.
91.	16.	Turonentis — —	Turonenfis
93.	14.	Leonti — — —	Leontii
94.	9.	argumento — —	argumenta
100.	5.	S. Eulgeii — —	Eulogii
106.	27.	Theophilacii — —	Theophilacti
107.	13.	Balderii — —	Balderici
108.	19.	Alio — — —	Alia
118.	9.	Jacorus — —	Jacobus
138.	21.	otiofa — — —	odiofa
143.	14.	ambiofam — —	ambitiofam
147.	12.	In margine addes	*Judicium veterum Criticorum.*
151.	16.	Deo — — —	Dei
170.	22.	puerum — —	puerorum
174.	28.	Concilio — —	Concilii
190.	12.	quo — — —	qui
204.	27.	Parte IId. Tom. IV.	Parte III. Tom. VI.
229.	16.	indulgent — —	indulget
—	26.	ob conditionem —	ob argumenti conditionem
244.	24.	Quos — — —	Quas
264.	21.	Maynaudi — —	Raynaudi
—	24.	1536. — — —	1546.
272.	24.	maximæ — —	maximæ mihi
282.	25.	eft — — —	*deleatur.*
288.	16.	debere — —	deberi
295.	24.	multorum — —	imo multorum
299.	30.	fæculi XII. — —	fæculi VII.
321.	19.	de la Religion —	*de la Critique en matiere de la Religion.*
324.	4.	Epiftola Critica —	Epiftola de Critica.
370.	26.	judicii	judicia

Bey dem nämlichen Verleger sind auch nachstehende Bücher zu haben:

Josephi Antonii Weissenbach, de Eloquentia Patrum Libri XIII. in 8. *Volumina novem.* 1775. fl. 8. 30 kr.

NB. Auf dieses Werk, so ebenfalls in gr. 8. gedruckt ist, beruft sich der Verfasser des gegenwärtigen öfters.

Joh. Friedrich Penthers, gräfl. Stollbergischen Cammer-Raths, Gnomonica fundamentalis & mechanica, oder von Verfertigung allerhand Sonnenuhren, in fol. Mit 16. Kupfern. 1794. fl. 1. 30 kr.

Dissertatio canonica de Instituto Canonicorum revocando potius, quam abrogando, in 8. 1794. fl. — 12 kr.

NB. Eine zu Gunsten der Dom- und Collegiat-Stifter von einem großen Gelehrten, der sich durch seine andere Werke sehr beliebt gemacht hat, geschriebene Abhandlung.

Predigt-Entwürfe, neubearbeitete, auf alle Sonn- und Festtage des Jahrs. Erster und zweyter Jahrgang. 4 Theile, in 8. 1791-1792.

— — auf alle Sonntage des Jahrs. Dritter Jahrgang, in 8. 1794.

NB. Das Festivale folgt nach.

Auch ist daselbst ein vollständiger Catalog aller Verlags-Bücher unentgeldlich zu haben.

Digitized by Google